136
3.

VRBANAE CONGREGATIONIS,

Per Sanctiſsimum Patrem, ac Dominum

VRBANVM VIII.

Pont. Opt. Max.

NVPER APPROBATAE

ENVCLEATIO,

ET AD IPSIVS AMPLIFICATIONEM ADHORTATIO.

Authore

FRANCISCO LEVERA ROMANO I.V.D.



R O M AE,
Ex Typographia Reu. Cam. Apoſt. MDCXXVIII.

Superiorum Permiſſu.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

A. Epiſc. Bellicaſtren. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Lupus Ord. Præd. Soc. Sac. Pal. Apoſt. Mag.

SANCTISSIMO PATRI AC DOMINO VRBANO VIII. P. O. M.

VRBEM virtutum omnium humaniorum præſtantia, qua vetuſtis illis temporibus celebratiſsimis floruit, Beatiſsime Pater, Imperij tui exortus reuireſcentem fore dilucidè prænunciauit; fulgor enim, & plenitudo ſapientiæ tuæ à cæleſtibus ijs diuinæ prouidentiæ notis, veluti digito Dei iam diù adumbrata, idcircò in Regij ſolij culmine collocata eſt, vt omnibus gentibus copioſiùs, affluentiùsq; communicaretur: In terris verò diuturna, & flagrantiſsimè, atq; eminenter à Sanctitate Tua geſta adminiſtratio Iuſtitiæ, quæ virtutum humaniorum omnium eſt Parens, ac Regina, ſapientiæ, & prudentiæ tuæ fuit omnibus argumentum: Propterea mirum non eſt in præſentia ſi diuinarum humanarumq; rerum notione inſigniter cõdecoratus, ſapientiæ tuæ fructus Populis, & vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ſaluberrimos in dies glorioſius impertiris. Verùm inter præclara virtutum, & in primis Pontificiæ pietatis, ac prouidentiæ tuæ documenta, illud quidem immortalem mereri valet celebritatem, quòd verſatur erga Vrbanã Congregationem, cuius excellentiæ, & vtilitatis publicæ magnitudinem, tanquam diuinus Vates in ſui ortus primordijs optimè prænoſcens, largitus illi es per prouidentiſſimam approbationem, perq; varia gratiarum genera vitæ beneficium, atq; incrementum, Quamobrem minimè eſt dubitandum, quin Vrbanæ Congregationis perennitatem cupientes viri, nimirum Aulici, nomen tuæ Beatitudinis

eminenti more tradant immortalitati, cum hæc ipſorum Congregatio non præſens ſeculum tantum, ſed futurorum etiam omnium, in quibus Aula permanſerit ſeculorum multitudinem intueatur: Et verò ab his quoq; temporibus impubertatis Congregationis ſuæ Aulici nullum grati animi argumentum prætermittere poſſunt, quin Sãctitati Tuæ afferant, nullũq; obſequium, atq; officium; propterea cum in obſcuritate verſantem tenorem, rationemq; inſtituti Vrbanæ Congregationis declarari, & in lucem proferri decreuerint, vt promulgatis humaniorum virtutum exercitationibus, in quibus ſua fundamenta iecit Congregatio, facilius ab infantiæ ſuæ debilitate proborum Ciuium ſuffragijs recedere valeat, hanc ipſius Vrbanæ Congregationis Enucleationem, ſibi conſentaneum munus exiſtimarunt, Auguſtiſsimo nomini Beatitudinis Tuæ humillimè conſecrare, à cuius ſupremo patrocinio, filiali fermè quadam ratione ſuadente, hæc eorum Congregatio maiora in dies, cæteriſq; ampliora ſperare poteſt augmenta. Has itaq; literas, quas conſueta erga Vrbanam Congregationem ſumma humanitas tua ſuſceptura eſt, eiuſdem Congregationis Vrbanæ filij precantur, vt foueas, & tuearis, quaſi à ſapientia, & maieſtate tua comprobatas. Me verò cui præter Vrbanæ Congregationis Annales, hæc etiam elucubrandi, & ſcribendi munus eſt traditum, quanquam in ea verſor ætate, quæ imperfectæ dicitur eruditionis, Regia beneuolentia proſequaris exoro, vt in ſapientiæ ſtudijs exardeſcam vehementiùs. Interim Vrbanæ Congregationis viri omnes, religioſo beatiſsimorũ pedum oſculo tuam Sãctitatem venerantur; & ſupremo rerum Principi Deo egregias virtutes tuas Reipublicæ Chriſtianæ apprimè accommodatas, & ſalutares in precibus ſuis ardenti animi ſtudio offerunt, eaſq; in perpetuum Poſteritas ipſorum eſt oblatura, vt non modo faciliùs ob præclara geſtorum tuorum erga Vrbanam potiſsimum Congregationem monumenta, conſtantiſsimum gloriæ ſingularis tenorem in terris conſequaris, verùm etiam æternæ vitæ præmia incomparabilia in Cælis. Romæ Kal. Martij MDCXXVIII.

Sanctitatis Tuæ

Beatiſsimos Pedes oſculatur

Humillimus ſeruus

Franciſcus Leuera.

S. R. E.

SACRO SENATVI EMINENTISSIMO.

Franciſcus Leuera Felicitatem.

ET tibi Sacro Senatui hanc Vrbanæ Congregationis Enucleationem dicādam quoque cenſuerunt Aulici Vrbanæ Congregationi Præfecti, quippè cum huius Aulæ ferè vniuerſæ ſis præclariſſima origo, atq; fulcimentum, Aulicorũq; maximam, & numeroſam ſane partem complectaris, patrocinium etiam tuum, iure optimo ab ipſis emeritum, in cunctis pariter rebus ad ſuam Congregationem ſpectantibus expetunt, eiusq; beneficientiæ actus erga illam perennes deprecantur; Vrbana enim Congregatio Aulicorum decus, humaniorumq; virtutum Aulæ conſentanearum incrementum, & ciuilitatis, ac nobilitatis illorum honorificam conſeruationem cupiens, præſeferensq; hac ratione Vrbanitatem illam, quam in Vrbe Regia ſemper florere fas eſt, profecto tuæ in primis maieſtatis intuetur, & cupit optabiliſſimam proſperitatem: Et reuera ab Apoſtolici Senatus eminenti pietate, ac liberalitate nullum gratiarum genus, nullumq; ſuffragium exoptaturam fore Vrbanam Congregationem verentur Aulici, quòd magnificentiſſimè non ſit conſecutura, etenim beneficentiæ illius præclarum argumentum iam nunc ipſis elargitur glorioſus, & in eodem religioſiſſimo, ampliſſimoq; Senatu ordine Senior Antiſtes Octauius Bandinus, qui Patrocinij ſui partes ſingulari humanitate, pietate, & reliquarum, quibus fulget virtutum claritate in dies tractat, exercetq; flagrantiùs. Hanc itaq; tibi Senatus Auguſtiſſime pubeſcentis Aulicorum tuorum Congregationis

in

in præſentia exhibitam obſeruantiæ humilem adumbrationem benignè intuearis, eiuſdemq; inſtitutum, quòd ſequentibus literis declaratur, patrocinari nunquam deſinas, & tueri, cum non ſit dubitandum, quin Vrbanæ Congregationis fructibus admirandis, Aulæ, ac proinde Reipublicæ beneficium intuentibus, temporum plenitudine, diuinæ prouidentiæ nutu adueniente, vberrimè in tui præſertim obſequium fruaris. Sit tibi, quemadmodum Vrbana Congregatio ardentiſſimè precatur, Sanctorum Apoſtolorum tutela in perpetuas propitia æternitates, tuiq; Apoſtolatus munus velit Deus Optimus Maximus in dies magis per Orbem terrarum triumphare.

Romæ Quarto Nonas Martij MDCXXVIII.

PRÆFATIO.

VErſabatur in eiuſmodi obſcuritate inſtitutum, & ratio Vrbanæ Congregationis nuper à Sãctiſsimi Domini Noſtri Vrbani VIII. ſapientia confirmatæ, vt maximè expediret ipſam declarare, & vniuerſæ Reipublicæ impertiri: Propterea Viri huic Congregationi Præfecti obſcurum inſtituti huius Congregationis tenorem, pleroſq; latentem rationem decreuerunt fieri præclaram; Id autem facilè euenturum exiſtimarunt, ſi conſtitutionibus ipſius firmatis, earum ſumma promulgaretur, itemq; ſi neceſſitas inſtitutionis Vrbanæ Congregationis, & publica amplificationis ipſius vtilitas, eiuſdemq; excellentia demonſtraretur. Cum autem hoc quoque mihi fuerit ab iiſdem impoſitum onus, ipſum libenter ſuſcipiendum exiſtimaui, tum quia idoneus efficiar ad cæleſtium illarum gratiarum conſecutionem, quas Sanctiſſimus Dominus Noſter pro Vrbana Congregatione aliquo modo elaborantibus, vt in Diplomate apparet, ampliſſimè largitur, tum etiam quia, ſi merito diliguntur, atq; honorantur ij publicè vtilitatis amatores, qui ingenij, & eloquentiæ ſuæ claritate rerum ſcitu, factuq; digniſſimarum remouent obſcuritatem, & ambiguitatem, equidem à probis, prudentibuſq; viris neque obtrectandum, neque contemnendum fore meum hoc tyrocinium ſuſpicor, dum pro ingenij viribus, & animi ingenuitate, rem ſimiliter digniſſimam, publicum vndiq; bonum tanqnam ſcopum inſpicientem, & hactenus confuſam, multiſq; penitùs occultam, afferam in medium dilucidatam. His igitur, aliiſq; velut incitamentis allicientibus, aggreſſus ſum munus ſuſceptum, & conſtitutionum ſummam primo adumbraui, eamq; Tripartita diſtributione diſtinguens peregi, quam Italico idiomate placuit Vrbanæ Congregationis Præfectis promulgare. Deinceps alteram muneris mei partem amplexus, cuncta tripartito ordine comprehendere decreui, cõſectaturus potius, prout res poſtulat, latinæ dictionis ſimplicitatem, quam ſubtilitatem, & elegantiam. Priori itaque loco neceſſitatem inſtitutionis, & amplificationis Vrbanæ Congregationis explicabo; Secundò referam vtilitates in vniuerſum profecturas à præclaris operibus ipſius, earundemq; operum neceſsitatem exponam; Tertiò eiuſdem Vrbanæ Congregationis excellentiam, & præſtantiam, progreſſuſq; ſingulares perſcrutabor, & Amplificatoris ſui gloriam; ac vbiq; ſecundum ſeriem tacitis reſpondebo obiectionibus, vt nihil, quòd aliqua ratione obſtare videretur, remaneat ambiguum, atq; inconſideratum. Deo itaq; Duce.

PARS PRIMA.

De neceſsitate inſtitutionis, & amplificationis Congregationis Vrbanæ.

CVM omnibus Rebus publicis, Regniſq; ſit inprimis propoſitum, vt ea Regiminis ratione fruãtur, per quam vnuſquiſque optime ſe habere, feliciterq; viuere poſsit, hoc autem æquum eſſe videatur, quia homines non alia ex cauſa in Ciuitates conuenerunt, niſi, vt rectè viuerent, & honeſtis officijs fungerentur [a]; Profectò in Republica, Regnoq; probè conſtituto multo æquiùs eſſe videtur, vt ij, qui ſingulari quodam, eminentiq; modo Principatui ſunt neceſſarij per ipſius ordinem rectiſsimè ſe ſe habeãt, probèq; viuere poſsint. Quamobrem cum Aulicorum genus, ad Principum maieſtatem, & Magiſtratuum ſplendorem, & ad publicæ, priuatæq; procurationis complementum, ſit in Regnis maximè neceſſarium, nè alióquin hac Aulæ pompa [b], & magiſteriorum varietate, & copia deficiente, & propterea ceſſante exiſtimatione potentiæ, & iuſtitiæ, quæ huiuſmodi aſpectu in multitudinis animis inſeritur, aut incogniti eſſent Principatus, aut contemptui expoſiti; honeſtum ſane, & rectum cenſeri debet, vt Aulici non ſolum in Aula, verùm etiam poſt longa officia ſua extra Aulam in dignitate ſibi debita perſeuerent, cum eaque ab hac mortalium luce decedant; Et idcircò ſacri Imperatores noſtri largiebantur tot, tamque præclaros honores, commoda, & priuilegia Aulicis, Comitibusq; ſuis, Domeſticis, Cubicularijs, Silentiarijs, cæteriſq; ab Aula demigrantibus Palatinis, quot varijs etiam Conſtitutionibus demonſtrarunt, vt hactenus in lib. 12. Codicis Iuſtiniani habetur [c], eadem ad filios etiam, nepoteſq; illorũ extendentes, veluti hauritur præſertim ab eiuſdem libri titulo 29. Pęnam ſacrilegio ſimilem ſtatuentes, ſi ijs honorificentia non deferretur, qui eorum purpuram contingere digni fuerant exiſtimati [d].

Præterea ſi ſummum Ciuitatibus bonum, vt cenſet Ariſtoteles, [e] eſt in amicitia conſtituẽdum, nempè in mutua Conciuium inter ſe cognitione, & beneuolentia, quoniam ab illa emanant in Ciues, ac proinde in Ciuitates exoptabiliſsima, & ingentia commoda, atq; oportunitates, ſicut è contra, vbi mores, & vitæ inſtituta in apertum prolata non ſunt, ſed tenebris obruta deliteſcunt, illic magna ſerpunt incommoda, neque meritũ honorem, neque magiſtratum, nec ius æquum rite obtinere quiſquam poteſt [f]; Inſuper ſi nihil, vt alibi docet [g], magis expetibile eſt, & iuſtum, nullumq; pręmium iucundius poteſt conferri Ciuitatibus, quam modus, ſeù ratio aliqua, per quam Ciues, & ij pręſertim, qui inter ſe ſimilia, eiuſdemq; generis magiſteria profitentur, inuicem ſeſe cognoſcere ualeant, & mutua

[a] Ariſt. lib. 3. polit. c. 4. & 6.

[b] Et Põpa eſt genus quoddam [illegible] tiæ, quia [illegible] reuerent. [illegible], quæ timoris ſpecies eſt.

[c] Tit. 5. 11. 16. 17. 19.

[d] L. 1. C. de Domeſticis lib. 12.

[e] L. 2. pol. c. 2.

[f] Ariſt. l. 7. pol. c. 4.

[g] L. 9. de Rep.

ſeſe beneuolentia, & charitate proſequantur [h]; Ratio inquam aliqua, quæ cunctis facilior ſit, efficacior, & melior, quæque iam inde ab vltima antiquitate ſit ampliſsime comprobata, veluti eſt Conſtitutio Cœtuum, Societatum, & Conuictus pro vnoquoque Ciuium genere; ſit quidem, vt etiam ſimilis modus, ſeù ratio, cuius gratia mutuo ſeſe cognoſcere, diligere, atq; adiuuare poſsint omnes Aulici, quęque perficiatur per Congreſsiones, Concilia, & ſeſsiones eorum frequentes, & ordinatas, ſit ſummopere expetibilis iuſta, ac neceſſaria [i], maximumq; tum Aulæ Romanæ, tum Vrbi vniuerſæ afferre valeat beneficium: Et ideò tota Antiquitas hac ratione ducta, atq; etiam relatum cuiuſque Ciuitatis primarium inſtitutum inſpiciens, conſueuit publicas peragere Comeſſationes, & Italiæ potiſsimum Populi, quemadmodum ſcribit Ariſtoteles lib.7.pol.c.10. eaq; ex publico cenſu, non priuatorum, veluti ſpeciatim refert de Cretenſibus [k], quorum Inſula centum Vrbibus habitabatur, vbi ex prouentu fructuum atque pecorum, & ex publicis vectigalibus, & tributis, conſtituta erat pars tum ad Deos, & publica munera, tum ad Comeſſationes, & ita mulieres, pueri, atq; viri omnes ex publicó alebantur [l]; Propterea in optima Republica vnicuiq; Ciuium generi loca certa ad publicas Comeſſationes inſtituenda eſſe ſtatuit idem Ariſtoteles lib.7.pol.c.12.

Vetuſtiſſimæ vero Vrbes omnes inſigniores ea ipſa ratione, ac ciuilis cuiusq; ſocietatis propoſito vrgente, non exiguum habuere numerum Collegiorum, Cõuentuum, & Sodalitatum vnicuique homini generi inſtitutarum tum ad victum, tum ad diſciplinam, illaq; cum ingenti tranquillitate expertæ ſunt, vt Plinius, Plutarcus, Dio, ac Lucius ſlorus referunt, & præcipuè hæc Vrbs, vbi quam plura nedùm pro ſeruis, Peregrinis, atq; nouis Ciuibus, & pro inopi veterum Ciuium plebe, verum etiam pro honeſtis Ciuibus animi gratia erant conſtituta [m], & vbi præterea Agri militibus aſſignabatur in præmium [n] ad Romuli exemplum, qui vt ait Cicero lib.2.de Rep. primus Agros, quos bello ceperat diuiſit viritim Ciuibus; Itemq; vbi emerita dabantur domicilia Veteranis, & vbi quoque recreari conſueuerat Populus crebris muneribus Imperatorijs; vt fecit Tiberius, qui Congiarium Populo trecentos nummos viritim dedit; Caligula, qui bis dedit tricenos Seſtertios; Nero, qui quadragenos nummos Populo diuiſit: Et Traianus, qui Populo Congiarium dedit, quo locupletatæ ſunt Tribus, quemadmodum Plinius Iun. refert Panegyr. in Traianum: Græcia pariter, quæ ſapientiæ Princeps ſemper eſſe voluit, mirifica tranquillitate fruebatur propter locum illum celeberrimum Athenarum, memorabili nomine Prytaneum, in quo ex publico, alebantur in teſtimonium meritorum, Viri de Republica benemeriti, qui honos apud Græcos maximus habebatur, velut affirmat M. Tullius lib.1.de Oratore.

Mirum igitur non eſt in præſentia, ſi ex vi enunciatæ veritatis factum eſt, vt prolata ab Illuſtriſſimo Cardinali Franciſco Sfortia fel. rec. meditatione Congregationis pro ſenioribus potiſſimum Aulicis, Optimo, Maximoq; Principi noſtro VRBANO VIII. Sanctitas ſua illam amplexus beniigniſſime fuerit, & Vrbanæ Congregationis nomine condecoratam approbauerit; Enim verò ſi tot humanitatis, atq; iuſtitiæ præclara documenta non modo in Sacrorũ Imperatorũ Conſtitutionibus, verum etiam in Gen-

tilium

h Ideo legiſlatores amicitiæ magis, quã Iuſtitię ſtudẽt, nam ſi Ciues ſint amici, iuſtitia non eſt opus, ſi verò ſint iuſti, amicitia indigẽt, vt late per Ariſtot. lib.8. eth. c 1.

i Quidquid in Ciuitate eſt iuſtum, eſt etiam maximè neceſſarium, vt Ariſtoteles lib.7. pol c.8.

k Lib. 2. pol. c.8.

l Idem lib. 4. polit. cap. 9. Eiuſdemq; diſtributionis morem in America amplißimo Regno Peruenſi fuiſſe teſtantur hiſtorici Indiarum.

m vt elicitur etiam ex M. Tullio lib. 2. ad Quint fratrem ep. 7. & in lib. de Senect.

n Idq; inter cætera teſtatur illa Auguſta emerita Luſitanię Ciuitas, quæ à militibus emeritis conditoribus, & Auguſto ſortita eſt nomen Diomedes.

tilium geſtis refulgent, quanto magis in Eccleſiaſtico Regimine hæc nitеſcere decet, quòd in temporalibus eſt ſucceſſiua quædam imago virtutum Sacrorum omnium Imperatorum, & totius Antiquitatis, immò vniuerſis Regibus, Rebusq; publicis iuſtitiæ, & pietatis exẽplar, atq; fundamentũ o; o S.Leo.

Et forſitan inter cætera illud noſtri Principis animo incubuit, quoniam cum huius Monarchiæ dignitates, tàm ſupremæ, quàm mediæ, atq; inferiores ſingulari quadam forma nulli Regno, nulliq; Reipublicæ pari modo communi, ad hæredes non deuoluantur, manifeſtum ſane erat ob incerta ſpatia vitæ Procerum, Aulicos poſt longa ſeruitia inopinatis incommodis, & varietatibus ſubijci debere, longè quidem maioribus, quam alibi, vbi per hæreditarias Principum dignitates in eadẽ familia poſſunt retineri; Quare conſentaneum rationi videbatur, vt huic fortuito errori in Republica verſanti prouideretur, cum benè tũc cõſtituta dicatur vnaquæque Reſpublica, Regnumq; quando per ipſius ordinem rectè quiſque ſe habere, feliciterq; viuere poteſt p. Et quidem errores, qui in Rebus publicis, Regnisuè exigui videntur, negligi minimè debent, quoniam exigui ſane non ſunt, nam veluti docet Ariſtoteles q detrimentum latenter obrepit, quia non totum ſimul contrahitur, peccatum autem in principio eſt, & principium dimidiũ totius eſſe dicitur, & ab his rebus decipitur intellectus, ac fucata illa ratio, ſi vnumquodq; paruum eſt, erunt, & omnia parua, quòd eſt quodammodo verum, quodammodo ſecus, nam totum, & omnia non ſunt res paruæ, ſed ex paruis conſtituuntur; ex quo fit denique, vt non ſolum quando error inualuerit difficillimè remoueatur, verum etiam quando Reipublicæ moderatores aliarum rerum mutationi obſiſtere conantur nihil proficiant, quia tunc non mediocris pars Ciuitatis eſt commouenda r: Nec exiguus ſane error eſt, vbi magno Aulicorum vſu, & numero exiſtente, contingit, vt per Procerum obitum, quorum dignitates, vt diximus hæreditariæ nen ſunt, tandem Aulici poſt longam ſeruitutem in extremam incidere poſſint egeſtatem; Si igitur hic error, qui in Republica fortuito cõtingit, ſummopere, vt vidimus caueri debet, hoc autem nullo alio modo tutius fieri poſſit, niſi per Conuentus, ſeù Congregationis inſtitutionem conſequitur hanc Congregationem huiuſmodi etiam ex cauſa fuiſſe neceſſariã.

p Ariſt. lib. 7 pol. c. 2.

q Lib. 5. polic c. 8.

r Ariſt. lib. 5 polit. c. 7.

Cum itaq; huic errori ab humana imbecillitate proficiſcenti cæperit proſpicere Sanctiſſimus Dominus Noſter Vrbanvs non ſolum per prouidentiſſimam huius Congregationis confirmationem, ſed per aliarum quoque gratiarum in dies humaniorem collationem, maximè quidem laudabile cenſendum eſt huius prouiſionis exordium, & ad Rempublicam feliciter conſeruandam magnopere neceſſarium, eoq; amplius, quia per hanc Aulicorum honorificam conſeruationem, nimirum per Vrbanam Congregationem præfinita ſunt quamplura præclara opera vtiliſſima, ac neceſſaria; quæ vniuerſam hanc Monarchiam in dies magis florentem poterunt efficere, veluti dicemus inferius.

Reliquum modo eſſet, vt Primates omnes concurrerent rectiſſimæ menti Sanctiſſimi Domini Noſtri, & ſaltem ad huius Congregationis exoptabilẽ amplificationem, paulò antequam ex hac vita decedant, ſuis opibus cooperarentur. Et honeſtum quippè foret, ac rectum, vt ipſi, qui Aulicorum ſunt origo, & qui per eoſdem Aulicos popularem reuerentiam, & obſer-

uantiam ſibi adipiſcuntur, varijsq; illorum gratia fruuntur commodis, & iucunditatibus, eſſent pariter cauſæ conſeruationis eorundem propria duce liberalitate, & magnificentia; Quin immo ſi ab ipſis Primatibus, & reliquis Ciuibus hactenus neglecta nullo modo eſt in Vrbe prouiſio aliqua indigenæ Plebis, atq; etiam Peregrinorum æquius ſane videtur, quemadmodum ipſa quoque ſuadet vrbanitas, & antiquorum Romanorum mos, quem ſupra recenſuimus, exemplaris, vt neq; Ciuium, aliorumq; nobilium, & virtute præſtantium prouiſio ab ijſdem negligatur, quæ ſanè honorificentior exiſtit, quoniam ſi turpis eſt egeſtas in Plebe, turpior erit in Ciuibus, & turpiſſima in genere nobilibus, & virtute præditis viris, atq; benemeritis.

Et profectò non eſt dubitandum, quin intelligentes, & prudentes Ciues omnes Vrbanam Congregationem effuſiori virtutum ſuarum conatu, ac præclaris humanitatis, & beneficentiæ ſuæ documentis ſint amplificaturi, quoniá non ignorant Aulicos eſſe ex benemeritis de Republica viris fermè digniores, tum propter diuturnam, atq; ſpontaneam ipſorum erga Proceres Dominos ſuos fidelitatem, & obſeruantiam, tum propter rectam, atq; ingenuam publicarum rerum coadminiſtrationem, ac proindè nullo modo inferiores reliquis hominum generibus, quibus Societates, Conuentus, & Collegia erecta, ampliataq; ſunt tàm publica, quàm priuata munificentia, immò nonnullis longè ſuperiores, cum alia erecta ſint alijs gentibus minùs Republicæ neceſſarijs, & minùs vtilibus, nempè alijs ob ſolam ſpem publicæ futuræ vtilitatis, alijs prorſus inutilibus ob ſolam pietatem; Neq; prætereà prudentibus eſt ambiguum, Aulicos omnes, qui ad hanc Vrbem conuolaturi ſunt, ſingulari magnanimitate condecoratos fore propter ſeniorum, benèq; meritorum Aulicorum honorificam hanc conſeruationem, quia euaneſcet in ipſis iuſtus ille horror diſpendij miſerabilis fortunarum, qui omnes vehementiſſimè compeſcit, & cum non mediocri Procerum ſuorum, & Aulæ vniuerſæ iactura coercet; Indeq; ijſdem manifeſtum eſt etiam, exoletum iri famoſum illud Aulæ hodiernum ludibrium, quòd imperitis potiſſimum animis graue eſt, & demum glorioſiorem, ac venerabiliorem fore Principatum, eiq; poſteritatem laudabili inclinatione obſequentiorem [f]. Propter exoptabiliſsima verò eiuſdem Congregationis opera, quæ optimos Aulicos, optimosq; Ciues efficient, non eſt illis obſcurum Principes viros rectiſsimo, atq; vtiliſsimo miniſterio fruituros, itemq; fama, gloria, & doctrina hanc Monarchiam perpetuo futuram florentiorem.

[t] Verum ſi neceſsitatem amplificationis huius inſtitutæ Congregationis velimus ſeparatim indagare, ea quidem anceps eſſe nullo modo poteſt, ſi quis inter præcipuos eiuſdem Congregationis fines, animo quoque perpendat inſtitutum illud ipſius occurrendi indecoræ paupertati Aulicorum, nè pè fortuitò aduenienti egeſtati Ciuilium, nobiliumq; hominum, qui diù in Aula [u] honeſtè commorati fuerint, ac proindè de Republica benemeriti: Enim verò ſi omnes, qui terrenis abundant bonis, arctiſsimè tenentur ad illorum diſtributionem indigentibus hominibus, quoniam, à Gentium conſenſu [x] effecti ſunt terrenarum opum diſpenſatores, vt egregiè ſcribit Ariſtoteles lib. 2. polit. cap. 3. & probat D. Thomas 2. 2. q. 118. art. 4. atq; ibidem Caietanus, dum ex Diui etiam Auguſtini ſententia concludit fieri à diuitibus iniuriam indigentibus, opes illis non diſpenſando, propterquam iniu-

f Nam non ſufficit, vt docet Ariſt. l. 10. de Rep. optimos ſeſe Reges præſtare, ſed oportet etiam eiuſcemodi exhibere illos, qui circumſiſtũt, & vniuerſum Aulæ miniſterium, &c.

t De neceſſitate amplificationis.

u Aula ſe habet ad Principatũ, Regnũue tanquam fundamẽtum, & baſis ad ædificia.

x Ius gẽtium legem Diuinã & naturæ, quæ Sãctiſsima eſt, atq; iuſtiſsima nunquam tollere voluit, neq; potuit, vt non poſſe ſtatuit S. Thom. allegatus per Couarr. de Matrim. 2. p. c. 6. §. 9. nu 4. c. quo Iure 8. diſt. c. duo ſũt genera 12 q. 1 c. ſicut ij 47. diſt.

iuriã [y] Princeps, qui iuſti cuſtos eſt ex officio poteſt, ac debet huiuſmodi diſpenſationem diuiti commiſſam tanquam ab indigno auferre, ſuperflua illius diſtribuendo pauperibus ob commune bonum; Quantò magis diſpenſandæ ſunt opes ijs ad inopiam vergentibus viris, qui de Aula, ac proinde de Republica ſunt benemeriti [z], & qui diuturnis mentis, corporisq; laboribus, & patrimonij ſumptibus, in diſciplinis Reipublicæ conſentaneis educati, & diuerſis condecorati virtutibus, ſunt Reipublicæ longè vtiliores & expetibiliores, quam rudes, ac non benè merentes homines? Et reuera benemeritis retribuenda magis eſſe beneficia ſtatuit Ariſtoteles lib. 9. ethic. c. 2. quam ſodalibus inſeruiendum, conſiſtunt enim, & continentur Ciuitates participatione, nimirum accipiendis, reddendisq; vltrò, citròq; beneficijs, vt illis, qui nobis gratificati ſunt viciſſim inſeruiamus, immò quia, vt idem Ariſtoteles probat lib. 9. ethic. c. 7. benemeriti viri [a] conſtanter diligunt illos, quibus opera, ſeù officia ſua pro ſuis viribus contulerunt, etiamſi nihil ab ijs percipiant emolumenti, neq; in poſterum ſint percepturi, hæc ſanè adamatio humaniſſimum eſt, vt congrua, ſimiliq; dilectione compenſetur, neq; miſerè interire negligantur ij, qui longa ſeruitute, fortunarumq; ſuarum diſpendijs de Aula ſunt præclarè meriti, & quos demum nullam vtilitatem recepiſſe cenſendum eſt, quando ab Aula neq; ea reportarunt alimenta, quæ neceſſaria ſunt, vt reliquum vitæ ſuæ tempus viuere valeant, quæque etiam non benemerentibus hominibus debentur [b].

[y] Card. Bella. in libell de arte bene mor. c. 9.

[z] C nō ſatis, & ſeqq. & c. cōſideranda 86. diſt.

[a] Benemeriti apud Ariſtot. ſunt illi, qui pro ſuis viribus opera ſua contulerũt, vt in lib. 8. ethic. cap. 13. Iura verò eos benemeritos eſſe ſtatuunt, qui non demeruerunt, l. ſeruos, ff de manumiſſ teſt.

Et quidem opes, & poteſtates idcircò ſunt expetendæ, vt quiſque virtutes ſuas in Republica exercere queat; opitulari autem egentibus ciuili ſocietati eſt maximè conſentaneum, & diuitibus magis, quam pauperibus affert tranquillitatem, atq; vtilitatem; immò Rerum publicarum omnium, Regnorumq; ſalus, & felicitatis eorundem perſeuerantia ibidem repoſita eſt, quoniam cum duæ ſint, cuiusq; Ciuitatis partes potiſſimæ, atq; inter ſe contrariæ, vt ait Ariſt. lib 4. polit. c. 4. Diuites nimirum, & Pauperes, ſi vigeat prudens ſubſidium erga indigentes, ceſſat procul dubio omnis ſeditionum, tumultuum, ac delictorum occaſio, & probabiliſſima ſuſpicio tum pacis, tum præcipuè bellorum temporibus ex numeroſorum pauperum erga diuites maxima inuidia, quoniam tunc maior eſt pars Ciuitatis, quæ huiuſmodi Reipublicæ conditione vere contẽta eſt, cum non Arces, non Theſauri, neq; aureum Sceptrum ſint præſidia Regnorum, ſed Amici, & qui diligunt, ſaluamq; cupiunt Rempublicam; At quando Ciuitas pauperum eſt plena, eorumq; præſertim, qui iam inopia non laborarunt, & Reipublicæ conditionem non ignorent, hoſtibus plenam eſſe perſpicuum eſt, quos non modo in Ciuitate ipſa, verum etiam in itinere nemo, qui ſanæ mentis eſt habere vellet.

[b] Inter omnes aduerſitates, inquit Boetius infeliciſsimũ infortunij genus eſt fuiſſe felicem, gloſſ. in d. c. conſideranda 86. diſt.

Itaq; cum ob certam humanarum rerum viciſſitudinem Ciuitas nulla, quanquam opum abundantia maximè florens, hominum egeſtate laborantium expers nec omni ex parte, nec ſemper ſit futura; Paupertas autem turpior videatur, ac pernicioſior in Ciuibus virtute aliquã condecoratis, & benemeritis; Nulla verò potuerit vnquam excogitari facilior, & tutior ratio occurrendi paupertati, quam per Congregationum publicam inſtitutionem, vt ipſa docet Antiquitas, profectò conſequitur omnes homines, qui locupletes ſunt, & potiſſimum Proceres, vbi neceſſitati ſuæ conſuluerint,

& ſtu-

& ſtuduerint mediocritati, haud dubiè huiuſmodi benemeritorum, ciuiliumq; hominum inopiæ occurrere, & proſpicere debere, ac proinde ad amplificationem huius Congregationis, quæ commodiſſimam hanc ijs opitulandi præſtat oportunitatem teneri ſub illis vinculis ſupra explicatæ veritatis.

Nec decipiat forſitan quoſdam ex locupletibus ſuę conditionis reſpectus, aut quæuis conſuetudo, itaut, acſi diuites non eſſent, excuſari opinentur ab hac obligatione erga huiuſmodi benemeritos viros, quoniam prætermiſſa illa Senecæ ſententia lib. 2. ep. 16. per quam diuites, qui quoad opinionem viuunt, nunquam diuites erunt; certè non opum vulgo exoptata, quædam profluentia, ſed virtutum claritas efficit, & tuetur humanæ conditionis excellentiam, quemadmodum in hac præcipuè Monarchia eſt manifeſtũ, vbi iuxta ſacrorum Canonum Sanctiones [c] non diuitiæ, neque nobilitas generis, ſed probitas, & doctrina ſemper eſt conſideranda, cum etiam, vt concludit Ariſtoteles lib. 7. pol c. 1. longè magis humana felicitas ſiue ponatur in voluptate, ſiue in virtute, ſiue in vtraq; adſit illis, qui morum probitate, intelligentiaq; excellunt, atq; externorum bonorum tenent mediocritatem [d], quam ijs, qui plus bonorum habent externorum, quam opus ſit, bonis verò animi, & doctrina inopes exiſtunt: Immo, qui proborum hominum merentur nomen, nec conſuetudine ducuntur, nec exemplo [e], ſed iuſtitiam amplectuntur, & veritatem ad quarum amplexum tenentur potiſſimum ij, qui à Reipublicæ profuſiſsima beneficentia ditati ſunt, veluti in hac Monarchia agendum ab ijſdem eſſe perſpicuum eſt ex totius Eccleſiæ conſenſu, & authoritate, & ſpeciatim per ſacrum Conciliũ Romanum primum, cæteraq; ſequentia, vt videre etiam eſt in c. vobis enim, & in c. quatuor, & in c. mos eſt 12. q. 2. in quibus ſtatuitur, vt de omni redditu, ſtipendio, & oblatione fidelium quatuor partes fiant, quarũ vna ſit Pauperũ, altera Antiſtitis, altera Clericorũ, altera pro Eccleſijs reparandis; Quorum Patrũ à Spiritu ſancto ductorũ ſapientiam, & prouidentiam in his decretis efflorentem, ſicuti certum eſt fuiſſe eminentiſsimã, & proficiſcentem à perfecta notione originis, & conditionis huius Eccleſiaſticæ Monarchiæ, ita ea non ſeruantes, Deum bonorum omnium Conditorem offendere [f], Remq; publicam ipſam negligere non eſt dubium.

Igitur Dynaſtæ in opum diſtributione præferre nolint alia hominum genera Vrbanæ Congregationi, nimirum Aulicis ſuis benemeritis, quia cum vna ex vrgentiſſimis cauſis diſtributionis opum ſit meritum, illud certe reddendum in primis, compenſandumq; eſt, vt diffuſe probat etiam Ariſtoteles lib. 8. ethic. c. 13. & 14. ac l. 9. c. 2. & veluti ſentiunt Sacri Canones [g], qui ijs, quibus, quiſq; tenetur magis habita ratione cauſæ, temporis, ætatis, nobilitatis, & debilitatis, diſtribuendas primum opes eſſe pronunciant.

c C. nos, qui præſumus 40. diſt. & c. qui vos, & c. licèt 8. q. 1.

d Ideò rectiſſime exceſſus mediocritatis bonorum omnino interdicitur à S. Cõc. Trid. in ſeſ 24. c. 17. de refor. & in ſeſſ. 25. c. 1. de refor.

e C. verit. & ſeqq. diſt. 8.

f S. Thom. 2 2. q. 185. art 7.

g C. non ſatis cũ ſeqq. & c. conſideranda 86. diſt.

PARS

PARS SECVNDA.

De vtilitatibus in vniuerſum profecturis ab operibus præclaris Vrbanæ Congregationis, & de earundem operum neceſsitate.

CVNCTA opera ſua diriget Congregatio Vrbana in Deum bonorum omnium authorem, eritq; flagrantiſſima honoris, qui Diuino numini debetur in terris; Ex vi autem huius amoris in Deum quis futurus ſit amor erga Rempublicam, clare internoſcitur, idq; apparet euidentiùs in Conſtitutionibus ipſius modo prolatis in lucem: ſtudioſa namq; adeò erit gloriæ, & proſperitatis Reipublicæ, vt in hoc omnem quorumcunq; hominum ſit ſuperatura ſocietatem; ſingulariter verò in officijs humanitatis erga filios ſuos Aulicos, illosq; potiſſimum, quos neceſſitate aliqua ſuadente ijs indigere cognouerit, incomparabilis erit; Ipſius demum perpetui fines erunt maieſtas Principatus, Aulæ vniuerſę ſplendor, & magnificentia ſingularis, Ciuilitatis, & nobilitatis conſeruatio, & glorioſum incrementum virtutum omnium humaniorum, atq; ciuiliſſimarum, quæ ſunt Aulæ neceſſariæ, & vniuerſę pariter Reipublicæ conſentaneæ. Non eſt igitur dubium, quin tàm publicè, quam priuatim ex pręclariſſimis operibus ſuis affluat vndiq; pietas, vndiq; charitas, & virtus atq; vniuerſæ Reipublicæ felicitas, & glorioſa propagatio.

Verum inter præclaras actiones præfinitas eſt quidem exoptabiliſſima, & Reipublicæ maximè vtilis, ac neceſſaria Eruditio publica in humanioribus illis diſciplinis ob miſeram temporum inconſtantiam propemodum exoletis, quæ ciuibus Aulã ſecuturis, Aulicisq; omnibus ingenuis tam ad probum ſui regimen, & rectam familiæ adminiſtrationem, quam ad ritè parendum, ac rectè imperandum, atq; ad rerum omnium agendarum, ac fugiendarum ſcientiam ſunt ſingulariter neceſſariæ; Eæ autem ſunt vniuerſa Philoſophia moralis, eiq; ſubiectæ facultates, quæ non in ſola ſpeculatione verſantur, ſed à ſpeculatione ad actionem, & effectionem ſeſe extendunt, Reiq; publicæ eiuſmodi ratione apprimè vtiles ſunt, & ſalutares, videlicet primo Ethica, cuius eſt proprium vnicuiq; diſertiſſimè tradere formam rectè, feliciterq; viuendi, & vbi potiſſimum perquiritur ſummum bonum humanum, Principia, & fines agendorum, humani animi partes, eiusq; tum ſentitiui, tum rationalis, potentiæ, appetitus, & habitus, virtutes, & vitia in vniuerſum; virtutes morales, & intellectuales omnes, quatenus humanæ felicitatis effectrices, earumq; rectum exercitium, vitiaq;

his

his omnibus oppoſita, & deniq; actiua, & contemplatiua felicitas. Secundò Oeconomica, quæ modum frugaliter, beateq; viuendi in familia ſingulis domeſticis tribuit, nimirum vbi generatim agitur de Domo, & de Familia, & vbi traduntur documenta Dominis, Seruis, Parentibus, Filijs, cæteriſq; & munera, ac officia eorum diſtinguuntur, & oſtenditur ſeries educationis filiorum, atq; eruditionis in diſciplinis per ætatem ediſcendis, videlicet in facultatibus tàm pacis, quàm belli tempore, & ſibi, & Reipublicæ neceſſarijs, ac conſentaneis; Item in qua perſcrutatur opum paratio neceſſaria, & in primis Agrorum [a] colendorum ratio, ſeminum, arborum, locorum, & fructuum vis, & natura, Animaliumq; paſcuorum, volantium, & natantium qualitates, ac proinde, vbi percurritur ars Paſtoralis, Lanifica, Venatoria, Piſcatoria, Aucupatoria, nec non etiã Nauigatoria, & denique, vbi ars medica, quatenus docet victus rationem, aliarumq; his affectarum artium proprietates, & vtilitates explanantur, ſed non tam ad earum omnium exercitium, quàm ad perfectam cognitionem, quæ vnicuique Aulico, & verò Ciui maximè vtilis, ac neceſſaria eſt. Tertiò Doctrina Ciuilis [b], cuius potiora ſunt Amicitia, eiusq; ac Ciuilis ſocietatis ſpecies, Ciuiumq; oportunæ qualitates, & officia, & partes Ciuitatis, eiusq; neceſſariæ conditiones, eiq; propoſiti fines; Rerum publicarum genera [c], nimirum Monarchia, Ariſtocratia, Democratia, & his contrarij ſtatus, & aberrationes, videlicet Tyrannis, Oligarchia, & Anarchia, omniumq; ſpecies, ortus conuerſiones, & interitus, ac medelæ; Leges, Conſtitutionesq; Ciuiles, vnicuiq; generi Rerum publicarum, & huic potiſſimum conuenientes vigentesq; Magiſtratuum variæ creationes; Ceremoniæ, & Ritus; Neceſſariarum ſcientiarum, & tum pacis, tum belli tempore commodarum diſciplinarum, atq; Opificiorum inſtitutiones; Felicitas ciuilis; Ciuitas beata; optimumq. Reipublicæ genus; Et vbi inſuper perquiruntur humani appetitus, atq; mores tum ab ætatis, tum à Regionis diuerſitate prouenientes, & demum varia præteritarũ, ac præſentium Rerum publicarum regimina, & hiſtorici euentus, atq; Coſmographia, eiusq; partes, videlicet Geographia, Corographia, &c. Vltimo Oeconomicæ, atq; Ciuili doctrinæ ſubordinatæ reliquę facultates potiores quemadmodum Architectura, eiusq; partes, quatenus mechanicorum opificiorum ſunt directrices, imperatrices, & magiſtræ, itemq; illius ſocia Optica, indeq; proficiſcentium artium nimirum Sculpturæ, & Picturæ regulæ, & axiomata: Præthereà militaris prudentia, vbi præſertim diſſeritur de Pace, de Inducijs, de cauſis belli iuſtis, & iniuſtis, de Exercitu, de Caſtris, de Agminibus, & Commeatu; ac de inſidijs potiſſimum vitandis, de Bello defenſiuo, & offenſiuo, de Terreſtri, & Nauali, de Externo, & Ciuili, de publicis prouiſionibus, & ſtipendijs, de Imperatorum, ac Ducum exercitus, & militum electionibus, & conditionibus, de Conſultationibus, & conſilijs, de inſtitutionibus ad militaria exercitia; Deinceps Geometriæ partes illæ, atq. Mechanicarum, quæ Ciuitatum Arces, Ciuitatesq. ipſas optimè conſeruandi, muniendi, & defendendi tradunt rationem, atq. ingenium ad nouarum machinarum vtilem inuentionem alliciunt; Et demum illæ exercitationes, quæ conſiſtunt in lanceis, ſclopis, & reliquis armis ritè gerendis, atq pertractandis, item in flectendis Equis, atq. in explicando, & in orbem, aliasq. figuras fingendo Acies, ac in

pro-

a Vnde omnes ferè deliciæ, & iucũditates humani generis proficiſcũtur. Ariſt. l. 1. pol. c 5.

b Quæ omniũ diſciplinarum eſt facile Princeps, vt Ariſt. lib. 3. pol c 8.

c Vt cognito à Ciuib⁹ perſpicacioribus genere, & cõditione Ciuilis Societatis, in qua viuũt, ac proinde ratione illa vniuerſali legum, quam innuit Ariſt. l b 5 pol. c 9. non ſolum leges Reipublicæ, Regniue, quæ literis sũt expoſitæ, ſed etiam, quæ nullis literis sũt cõprehẽſę valeant intelligere, declinentq; à puerili illo ſyllabarum, nimiſue accurato ſummi iuris examine, & a confuſis vbiq. ſcribentium in iure opinionibus, quæ à recta intelligendi, ac decernendi via non raro abducunt, vt ait Ariſt lib. 9 de Rep. dum de Iudice loquitur; & S. Hieron. in c ego ſolis 9. diſt. & Lact Firm. l. 2. de orig erroris c. 8.

progrediendo, & regrediendo, cæteriſq; rebus, quæ ſunt propriæ belli adminiſtrandi, quæq; agilitatem, celeritatem, fortitudinemq; adaugent, ac modeſtiam, & honeſtatem non euertunt, ſed rectam Reipublicæ afferunt defenſionem. Et quoniam eloquentia, quæ ſupra res omnes in ſocietate Ciuili præclaras eſt exoptabiliſſima, indiget Rhetoricæ præceptis tanquam inſtrumentis ad ornatam, aptam, atq; numeroſam elocutionem, cum aliud nõ ſit eloquentia, vt probat M. Tullius lib. 1. & 2. de Orat. quam copiosè loquens ſapientia, ſcilicèt quam ornata, numeroſa, atq; ordinata diſpoſitio, & elocutio eorum [c], quæ quiſque iam in vniuerſæ Philoſophiæ ſtudio eſt conſecutus; propterea huius quoq; Rhetoricæ facultatis eruditionem poſt Philoſophiæ vniuerſæ ſtudium Congregatio non eſt prætermiſſura.

[c] Omnium, quę in hominũ diſceptatione cadere poſſunt. Tullius vbi ſup.

Itaq; à nobiliſſimo hoc tum morum, tum literarum Conuentu hæc omnia Diuino adiuuante numine docebuntur ad humanæ ſapientię curſum Ciuibus Aulam ſecuturis planiſſimè patefaciendum; Vbi verò fuerit opus ſacrarum ſemper literarum, & ſanctorum doctrinam, atq; authoritatem amplectetur, quemadmodum in ijs Philoſophiæ partibus, in quibus de beatitudine, ac felicitate differitur, ibi enim Doctoris Angelici ſequetur doctrinam, eamq; ſingillatim, quæ in lib. 3. contra Gentil. à c. 27. vſque ad 41. diffusè habetur. Et reuera huius præclariſſimi operis ab Vrbana Congregatione præfiniti publicam vtilitatem ſeries enarratarum diſciplinarum ampliſſimè declarat; Nulli enim pro quarumcunque facultatum Profeſſoribus magis irrigui eloquentiæ fontes, & efficaciora argumenta ad omnium hominum animos, & ſibi, & Reipublicæ conciliandos poſſunt inueniri, quam ea, quæ ab humanioribus hiſce doctrinis effuſiſſimè erumpunt, cum indè neceſſitatum, atq; vtilitatum, iuſti, & honeſti diſertiſſima genera hauriãtur; Nec quiſquam efficaciorem aliquam rationem excogitare vnquam poteſt, per quam Reipublicæ neceſſitatibus valeat ſubuenire, latenterq; & ſuauiter occurrere humanæ imbecillitati, quam per huiuſmodi humaniorum facultatum publicam eruditionem, & diſciplinam [d]; Ferreæ namq; leges, & terror morte validior, etiamſi foret, vt ait Ariſtoteles, excogitatus, libidini frenos imponere non valent, nec dolori, quorum alterum eſt vehemens malorum incitamentum, alterum à bonis auerſio; Neq; implacabilem furorem, ac ſpem fallacem poſſunt cohercere, quæ à ratione diſiuncta, ac coniuncta voluptati, grauiſſima omnia facinora ſolent attentare nec demùm audaciam, & formidinem, quæ ſunt humanæ miſeriæ fraudolenti conſultores. Propterea quando Ciues, & præſertim perſpicaciores, ſpiritualibus in pueritia plenè delibatis documentis, itemq; perceptis artibus ad hæc humaniora ſtudia neceſſarijs, coniungere poterunt ea, quæ enarratæ Philoſophiæ pars de humanis moribus virtute præſtantibus ampliſſimè differens demonſtrat, & in animum imprimit facili methodo, & efficaciſſimis rationibus, nimirum Ethica, tunc humanæ felicitatis cauſas, & rationes optimè percipient, virtuteſq; à vitijs, mediaq; ab extremis præclarè diſtinguẽt, cuius rei ignorãtia multorum eſt cauſa malorum; Fieri enim minimè poſſe videtur, vbi in animo eruditione, & ſcientia Duce, iacta ſunt quamplura ſemina fœcundiſſima virtutum, & vbi tanquam in ſpeculo puriſſimo conſpiciũtur, vitiorum, & malorum fœda turpitudo, ac pernicies, & è conuerſo virtutũ, & bonorum honor, laus, & beneficia, vt non fiat electio virtutum, ſed vi-

[d] Et ideò Socrates philoſophiam naturalem omnium primus in moralem tranſtulit, naturalis ſpeculationis fructum exiguũ eſſe animaduertens. Xenophon.

 tio-

tiorum: Deinceps ex reliquis duabus eiuſdem Philoſophię partibus, Oeconomica videlicet, & Ciuili Doctrina, rerum omnium agēdarum, ac fugiendarum ſcientiam diſertiſſimè intelligentes, magiſtrali quadam forma huic Regiæ Reipublicæ prorſus conuenienti, prudentiam in cunctis actibus ſuis tàm priuatis, quàm publicis ſingularem, & indè mores, habitusq; perfectiſſimos, ac Reipublicæ ſaluberrimos conſequentur.

Prætereà huius præfiniti operis vtilitatem, cōmoditatēq; declarat Vrbanę Congregationis oportunitas ipſa ſingularis, quoniam ſi Gymnaſia ſub quacunque recta hominum Cóngregatione ritè ſe habere non eſt obſcurum, quia ijs publicum tantummodo beneficium [e] à publica eruditione proficiſcēs, eſt pro extremo fine propoſitum, & potiſsimum vbi ſuæ vtilitati renunciauerint, optimè quidem ſe habitura ſunt ſub Vrbana pariter Congregatione, cuius hominum genus Aula, ac proinde Principatu permanente ſemper eſt neceſſario perſeueraturum, & cuius viri enarratarum diſciplinarum notionem, & exercitium, tanquam conditioni ſuæ congruens, & neceſſarium perpetuo ſunt profeſſuri: Et anceps ſaltem non eſt, longe melius ſic ſe habitura Gymnaſia, & multo minori ſumptu ſeruanda eſſe, quam ſi commendata, & quoquomodo deſtinata forent aliquibus ſegregatis, priuatiſuè hominibus, quorum conditioni huiuſmodi diſciplinarum notiones, & exercitia minimè conueniant, & qui plerumq; intenti ſtipendijs, atque emolumentis, & Potentum fauore ibidem conſtituti, ſtudent vtilitati ſuæ, & ad alia ſibi commoda negotia incumbunt, feriarum copia, & Concionū, atq; Academiarum deſuetudine, Auditorumq; paucitate, & negligentia gaudentes; Etenim quemadmodum in Ciuitatibus ſola Arcium conſtructio, & aliquorum Militum cuſtodia non ſufficit ad earum defenſionem; & ſicuti neq; ſatis eſt Cuſtodiarū, ſeù Carcerum addictio, & Legum promulgatio; Ità neq; ſola Gymnaſiorum ædificatio, eorundemq; aliquibus paucis, ſegregatisq; Magiſtris commendatio ſufficere vnquam poteſt.

[e] Et Diuini numinis gloria ſuæq Cōgregationis decus.

Neq; aliorum Gymnaſiorum ſtudijs impedimento erit nouum hoc moralis Philoſophiæ Lyceum, nam probè conſtitutæ, ac longeuæ Reipublicæ, Regniq; certiſſimum eſt argumentum, veluti Plutarcus [f] diffusè probat, & Ariſtoteles [g], quando in ipſa ad congruentem eruditionem Iuniorum Ciuium, à quibus futura dependet Reipublicæ conſeruatio, ſunt conſtituta publica Gymnaſia quamplura, & potiſſimum ad eas percipiendas diſciplinas, quæ ſunt Reipublicæ neceſſariæ; Idcirco quamuis diſertiſſima pro aliqbus eſsēt emanata priuilegia legēdi, ac docēdi, tamēnulla ratione ampliori Reipublicæ vtilitati illa obſiſtere poſſe liquet [h]; eo enim fit copioſior meſſis procul dubio, quo plures operarij fuerint; Immò hac Vrbani Gymnaſij inſtitutione ſuadente, nonnulla, quæ in vetuſtis ſcholis conſimilium lectionum veſtigia remanſere, facillimè poterunt ob ingenuæ cuiuſdam æmulationis incitamentum reſarciri. Neq; verò huiuſmodi literarum ab Vrbanę Congregationis viris exercenda eruditio, vllis poteſt eſſe deſpicabilis, niſi imprudentibus, nam huius eruditionis exercitium huic hominum Concilio eo ſanè modo conuenit, quo alijs iam pridem multo humiliùs, & obſcuriùs exurgentibus, atq; incipientibus, alia conuenerunt: Immò quemadmodū in alijs diſciplinis, & facultatibus priùs omnino ignotis ſurrexerūt viri peritiſſimi, & celeberrimi, lōgè quidē faciliùs in deſcriptis diſciplinis hactenus in

[f] In opuſc. de lib. educ.
[g] Lib. 8 polit. c. 1. & lib. 4. polit c. 9.
[h] Cracouien. Iuris legen. 18. Decemb 1616. coram Decano.

libris

libris ſatis adũbratis, exurgere, ac florere poterunt per varia tẽpora præſtantiſſimi Aulici, atq; Ciues, quorum pleriq; perpetuo ad inſtar curſus aquarum à ſtudijs Vrbanæ Congregationis progredientur periti iuniores, & in eam regredientur ſeniores peritiſſimi.

De pręfinitarum operum neceſſitate.

IN PRIMIS verò harum operũ neceſſitatem ſatis oſtendere videtur pernicioſa, ac turpis hoc ſeculo penuria notiſſima perfectorum, peritorumq; Aulicorum in recenſitis literis Aulæ neceſſarijs, & conſentaneis; Illorum nempè, qui vulgo Secretarij, ac Auditores nuncupantur, & qui Præfecti familiæ dicũtur, & Oeconomicis deſeruiunt officijs, itemq; Magiſtri Ceremoniarum, & demùm eorum, quos Cuſtodes Principis, Primatũ, ac Vrbis eſſe fas eſt: Præterea idem demonſtrat euidenter ipſa earundẽ enarratarũ diſciplinarum qualitas, & conditio, etenim cum exoptatiſſimus cuiuſq; rectæ Reipublicæ, Regniq; finis ſit duplex, alter nimirum futuræ vitæ æterna, & incõprehẽſibilis felicitas illa, quam Nationes omnes ſe falſo conſequi arbitrantur, dum ab Eccleſiæ Catholicæ puriſſima fide diſſentiunt; Alter omnium pariter Ciuium vitæ præſentis, prout res humanæ ferunt, felicitas, & beatitudo; Vniuerſæ verò moralis Philoſophiæ finis ſit ſummum bonũ humanum, videlicet felicitatis humanæ conſecutio, veluti teſtatur Ariſtot. lib. 1. ethic. c. 2. & lib. 3. pol. c. 8. Idcirco quemadmodum ad æternã gloriam aſſequendam Theologiæ, ſeù Diuinæ veritatis cognitio requiritur, & ſacrorum præceptorum ſpontanea obedientia, ità ad alteriùs finis conſecutionẽ, nempè ad humanam huius vitæ felicitatem, quæ potiſſimum in actione conſiſtit [g] Moralis Familiaris, & Ciuilis doctrinæ cognitio neceſſaria eſt, & rectum ipſius exercitium; Immò hæc tanquam efficaciſſima inſtrumenta ad alterum finem conſequendum iure optimo debent per vniuerſam Rempublicam celebrari, quoniam ipſorum ornamẽtum Chriſtifidelibus omnibus ad futuram vitæ felicitatem adipiſcendam vtiliſſimum eſſe inter nos liquet, cum actiones moralibus præditæ virtutibus nobis meritoriæ ſint iuxta Theologorum communem ſententiam.

Porrò huiuſmodi Eruditio in hac Eccleſiaſtica Monarchia ſpeciatim neceſſaria eſt, cum in ipſa non generis nobilitas, vt alibi innuimus, nõ diuitię, ſed ſola quidem virtus, & doctrina ad quamcunque, & in primis ad ſupremam rerum adminiſtrationem ex Canonicis decretis [h] requiratur; Hæc autem ſcientia non erga res ſolum diuinas eſſe debet, ſed etiam erga humanas omnes [i], vt decernitur in c. Petrus 39. diſtinct. dum D. Gregorius eiuſmodi viros in Regiminis Arce hoc tempore cõſtitui debere ſtatuit, qui nõ ſolum de ſalute animarum; verum etiam de extrinſeca ſubiectorum vtilitate, & cautela ſciant eſſe ſoliciti [k], & velut affirmat quoque Apoſtolus ad Thimoth. c. 3. illis verbis, ſi quis domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei Diligentiam habebit?

Nec quanquam totius Philoſophiæ moralis in cunctis gentibus vmbra quædam, & informatio, ac rude exercitium poſſit vnquam interire, quoniã generatim mortales omnes, vel per prouidentiam, quæ in Ciuitate extare quoquo modo debet, vel per diligentiam, & ſedulitatem, quæ in familia, vel per induſtriam, & prudentiam ſuam viuere coguntur, eademq. neceſſitate cogente, ſucceſſiuè per inordinatam, atq; obſcuram harum rerum communicationem, & aſſuetudinem fortuito conſeruantur; Attamen huiuſmodi

g Ariſt. lib. 1. mag mor. c. 4 & lib 7. pol. c. 3. 8. & 13.

h C nos qui prę́ſumus 40. diſt. & c. qui nos, & c. licet 8 q. 1. Quia finis ipſius eſt propagatio per eloquentiam, nempè per communicationẽ veritatis vniuerſis gentibus

i Can. in diſt. 36 37 39.

k C. ſi aterem 86. diſt.

communicatio, & aſſuetudo longè quidem aliena eſt ab illa plenitudine ſcientiæ, & prudentiæ, quæ tranquillitatem, proſperitatem, felicitatemq; producit in Ciuibus, atq; in Ciuitatibus, ſi homines rectà harum diſciplinarum eruditione careant, & potiſſimum perſpicaciores Ciues, qui ob ingenij ſui dexteritatem præ cæteris valent vtiliſſimos huius doctrinæ fructus Reipublicæ diſtribuere, atq; dilargiri. At ſi quis ſpecioſiùs, quam veriùs aſſereret [l] expetibiliorem eſſe in Ciuibus ſcientiæ mediocritatem, quam multitudinem, ſeù eminentiam, ac proinde hanc Vrbanorum Gymnaſiorum inſtitutionem, tanquam eruditionum multitudinem præſeferentem, dici non poſſe laudabilem, & publicæ vtilitatis nunciam, ſed potiùs ominoſam; Reſponderetur doctrinæ mediocritatem, forſitan locum rectè habere poſſe in ſcientijs, aut facultatibus Theoreticis, videlicet in illis, quæ in abſtruſiſſimis, & profundiſſimis ſpeculationibus verſantes, à ſpeculatione ad actionē, & effectionem minimè deſcendunt, ſi verò deſcendant non ſunt Reipublicę vtiles, ac neceſſariæ; Item in rebus Fidei, ac Diuinis, quas, vt docet Apoſtolus Paulus c.12. ad Rom. ſatis eſt ſapere ad ſobrietatem, ſed in humanioribus diſciplinis ſuperiùs enarratis, ſcientiæ mediocritatem non modo non eſſe expetibiliorem, verùm etiam neq; expetibilem, ſed pernicioſam; In primis autem non exoptabiliorem eſſe reſponderetur, quia etiamſi mediocritas in externis bonis corpori deſeruientibus ſit iuſtiſſima, & maximè laudabilis, tamen ſecùs eſt in animi bonis, quibus quò magis quiſque excellit, eò felicior exiſtit, cuius rei teſtis eſt ipſe Deus, qui ſapientiſſimus dicitur, quòd quidem affirmare abſonum foret, & deteſtabile, ſi mediocritas ſcientiæ expetibilior eſſet, & melior, quàm ſumma ipſius excellentia, & perfecta Sapientia [m]: Idcirco quemadmodum Imperio Tyrannico vigente, illi rerum Moderatores conſueuerunt viros, quò magis præſtantes, eo magis deprimere, neque doctrinam, nec ſimile quicquam permittere, vt hac ratione Tyrannis ſua, veluti circumfuſa tenebris, magis delitеſceret, ità è conuerſo non eſt dubium, quin in Regio Imperio, optimaq; Republica Ciues virtute pręſtantes, alijs mediocriter ſcientibus, & ignaris, & quibuſcunque ſint expetibiliores, Idq. egregiè confirmare videtur Ariſt. lib. 10. de Repub. in fin. dum ait, non prius hominum generi malorum modum, finemq. ſtatutum iri, quàm cum aut Philoſophi regnauerint, aut qui Reges numerantur, & Dynaſtæ, Philoſophiæ ſtudia plenè, & ingenuè celebrauerint, inq; , vnum conſenſerint facultas ciuilis, & Philoſophia. Sapientum enim multitudo, vt docet Salomon c.6. Sap. eſt ſanitas Orbis terrarum [n]; Idemq; manifeſtum eſt etiam ab Eccleſiaſticis Decretis eligi præcipientibus ad publica munera ſapientiores, eoſdemq; præferentibus, viris ſola probitate decoratis, vt habetur in d.c. Petrus 39. diſt. & c. licèt 8.q.1. & in S.C. Trid. ſeſſ. 24.c.18. de refor. & in Ariſt. lib.5. pol. c.9. Prætereà expetibile non eſſe reſponderetur, immò pernicioſum Ciues eſſe mediocri doctrina præditos, quia mediocritas ſciētiæ nihil aliud eſſe poteſt, quam imperfecta, & confuſa rerum notitia, quæ cum à naturali, atq; immutabili impulſu illo humano ſciendi, nullis terminis præfinito, vt teſtatur Ariſt. lib. 1. metaph. c. 1. longè ſit aliena, expetibilis ſanè non eſt, ſed pernicioſa, quoniam in ſpeculatiuis doctrinis deprauatarū opinionum, & ſuperſtitionum eſt origo, ſuſpēſionis verò animi, atq; improbitatis in agibilibus, ob ratiocinandi non abſolutam, ſed imperfectam facultatem

[l] Cum Iuſto Lipſio in adnot. ad. c.17. lib.2. Doctr. Ciuil.

[m] Eccleſiaſt. c.39.

[n] Et Sapientia eſt, quæ largitur vitæ longitudinē, quæ victum, quæ lumen, & quæ pacē Baruch. c.3.

tatem

tatem ſuam in cunctis generatim ſcientijs, artibus, atq; opificijs; Quòd fieri etiam poſſet notius, etenim qui ſapientiam, & rerum agendarum copioſam notitiam ſunt conſecuti [o] nullis fermè erroribus implicantur, quia in parte animæ, quæ rationalis eſt, nempè in intellectu decipi non poſſunt, cum quidquid eligendum, & quidquid fugiendum ſit optimè intelligant. In parte verò rationis experte, nempè in appetitu, aſſiduè reprimuntur à ſapientiæ ſuæ validiſſimis pariter rationibus, quæ ſibi iuſtitiam, & continentiam in agibilibus continenter ſuadent, & recordantur: Mediocri verò, videlicet imperfecta rerum notitia præditi in magnis erroribus, & vitijs facilè demerguntur, quia non ſolum in intellectu falluntur, bonum, & verum non abſolutè intelligentes, ſed in appetitu etiam ſenſitiuo, cui libentiſſimè adhæret humanum genus [p], ſæpè hallucinantur, neq; extrema neq; medium in agibilibus rectè diſtinguentes; Proptereà cum huiuſmodi rerũ confuſa notio deterior ſit, quàm ſumma rerum ignorantia [q], quoniam hæc neceſſario eſt coniuncta ſimplicitati, atq; puerulæ ætatis eſt propria, illa verò rerum calliditati, & improbitati, quia res ſcibiles peruerſo plerũq; modo intelligit, & Multitudini humanarum diſciplinarum ſobriè, mediocriterq; ſtudioſæ eſt familiaris; Fieret quidem ſi illa vigeret, vt humanum genus conſuetudinibus in dies corruptioribus repleretur, multòq; minùs periti, prudentesq; forent ſeniores, quam ſi in ætate iuniori fuiſſent in relatis humanioribus diſciplinis ſatis eruditi.

Verùm quia in recta Ciuitate, quæq; potiſſimum aliarum ſit veluti Parens, & Regina, non ſolum Philoſophia, temperantia, & iuſtitia opus eſt, vt docet Ariſt. lib. 7. pol. c. 15. ſed etiam fortitudine, & tolerantia, roboreq; ciuili, & non peregrino [r], quæ facillimè per militarem prudentiam poſſunt adipiſci, cum aliòquin, qui fortiter pericula ſubire nequeunt, hi ſerui fiant inuadentium; Profecto neq; militaris eruditionis in Vrbe inſtitutio, vllam mereri poteſt reprehenſionem [ſ], ſiquidem quamuis Vrbs ipſa hoc ſeculo à bellorum aliena tumultibus, humanitatem, & pietatem eminenter profiteatur, cum optimè iam diù nouerit, bella ciere, pugnas committere, nec optabile, neq; fauſtum, ſed deteſtabile, infortunatum, & contra naturam eſſe, attamen non ignorare quidem poteſt, militarem prudentiam ad ſui ipſius defenſionem, non modo licitam eſſe, verum etiam neceſſariam; Immò cum Eccleſiaſtica Monarchia ad eam deuenerit amplitudinem, vt quod ex ſe prius per doctrinæ ſermonem explere non poterat erga improbos [t], nunc per diſciplinæ terrorem exequi valeat; Honeſtum profectò eſt, & rectum, vt in ea inſtituatur illa diſciplina, quæ ſola crudeles, & efferatos improborum impetus, & ſeditiones ſolet, & valet cohercere, eaq; Vrbanæ Congregationi exercenda tradatur, quæ ſingulariter vndique tuta ob cęleſte patrocinium SS. Io. & Pauli Glorioſiſſimorum Chriſtianæ Reipublicæ Propugnatorum, non niſi feliciſſimè ſub ipſorum Vexillo militatura eſt.

Subtiliùs itaq; aliqui, quàm tutiùs dicerent huiuſmodi rerum humanarũ ſolicitudinem, tanquam à Deo interdictam, eſſe negligendam per ea, quæ habetur in Pſalm. 126. [u] Itemq; in Matth. c. 6. [x] quoniam, vt in his terminis docet S. Thom. lib 3. contra Gentil. c. 135. cum genus humanum ex ſpirituali, & corporali natura ſit conditum, neceſsè eſt, vt ſecundum Diuinam ordinationem corporales actiones exerceat, & ſpiritualibus intendat, quia

cum

o Quòd difficile quidē eſt, vt ait Ariſt. lib. 2. polit. c. 5. & maximè vbi relatarũ diſciplinarum ſtudia ſunt antiquata.

p Ariſt lib. 2. ethic. c. 8. S. Thom p. p. q. 115. art. 4. in fin.

q Vt ab Ariſt. lib 1. poſter. c. 12 hauritur

r Peregrinorũ enim militũ fides ſuſpecta ſemper fuit, & lubrica, quia vtilitati ſuę ſeruiunt, non Reipublicæ ſaluti Ariſt. lib. 9. & 10. de Republ. & Iuſtus lipſ. lib. 5. doctr. ciuil. c. 9. & 10.

ſ Quēadmodum ad Aulę pompam, & maieſtatem maximè facit motum ciuilitas, & præſtantia Aulicorũ; ità etiã ad curam, & cuſtodiam eiuſdem non ſunt contemnenda militaris prudentiæ documēta.

t C. Principes &c. quali. nos 23. q 5. & c. quãdo vult. & ſeqq. 23. q 4. & c. Cõſtātinus diſt. 96.

u Niſi Dominus cuſtodierit Ciuit. &c.

x Nolite in craſtinũ cogitare, &c.

cum corporales actiones ordinentur ad ea, quæ ſunt neceſſaria ad vitæ conſeruationem, ſi quis eas prætermittit, negligit vitam ſuam, quam quilibet conſeruare tenetur; expectare autem à Deo ſubſidium, in quibus ſe aliquis poteſt per propriam actionem iuuare, prætermiſſa propria actione, eſt inſipientis, & Deum tentantis; Ad diuinam enim bonitatem pertinet, vt rebus prouideat non immediatè omnia faciendo, ſed alia mouendo ad proprias actiones; Immò quoniam nimia animi adiunctio ad cęleſtium rerum ſtudium, diuinorumq; contemplationem, quæ longè expetibiliora eſſe prædicantur, & ſunt, quam hæc terreſtria omnia, nimiaq; Ciuium occupatio in Religioſis, Spiritualibusuè exercitationibus [y], ſuapte natura maximè diſtrahunt ab agibilibus humanis, & pariunt contemptum earundem humanarum rerum, quibus victus ad vitæ conſeruationem comparatur, atq; propagatur humanum genus; Idcircò moderatis eloquentiæ ſtimulis [z] excitandi ſunt Ciues ad Religioſas occupationes [a], & ſpiritualium contemplationes, ne ob immodicam mentis intentionem, corporisq; occupationes in illis, nimia quoque fiducia, ſeù terrore deiecti, in omnibus agibilibus humanis imprudẽtes fiant, atq; ignauiſſimi tàm erga ſuum Regimen, quàm Familiæ, quàm Ciuitatum cum vniuerſæ Reipublicæ detrimento.

Et reuera bellicæ procurationes, vt teſtatur Ariſtoteles, & diſciplina militaris [b] multas habent virtutis partes, quamuis tamen quaſi rerum omniũ vltimum, ac ſummũ bonum ſtatuẽdæ non ſint, ſed illius gratia, vt ait Ariſt. lib. 7. polit. c. 14. Vnum autem cęteris expetibiliùs in Rebus publicis, Regnisq; conſequitur à militaris diſciplinæ inſtitutione, enim verò cum vnicuique Reipublicæ ſummoperè interſit, hoſtibus non modo cum fines inuadunt, ſed etiam cum abierint, eſſe formidabilem, latenter extenuatur quidem, & diluitur ille contemptus, & audacia externorum erga Rempublicam, quando in ea Concertatores, Æmulosq; prudentiæ militaris habere ſciunt: Propterea quemadmodum à Cyro Perſarum Rege, & Philippo Macedonum ſumma prudentia probata educatio illa militaris, quam refert Ariſt. lib. 10. de Rep. ſtrenuiſſimos, atq; aduerſis Nationibus formidabiles, ipſisq; ac eorum poſteritati obſequentiſſimos milites comparauit; Fortiori quidem ratione ex noua hoc ſeculo in hac Vrbe Romana, iam pridem Orbis terrarum domina, militaris diſciplinæ inſtitutione, atq; exercitio temeraria Barbarorum, crudeliumq; Nationum animoſitas contra ipſã, & Eccleſiaſticæ Monarchiæ venerabiliſſimum Vexillum procul dubio reprimeretur; Nondum enim Romana illa indoles generoſiſſima euaneſcere valuit, neq; ingentia, atq; admirabilia inuſitatæ fortitudinis, & prudentiæ ipſius inſuperabilis ſemina defecerunt, immò nunquam defectura forè perſpicuum eſt, quoniam cum hæc Regio inter medium totius Orbis locorum tàm calore, quàm frigore temperatum teneat ſitum; Inter præcipuas verò Ciuitates, quæ ſub Zona temperata verſus Arcticum Polum conſtructæ reperiuntur, hæc Vrbs Romana ſingularibus prærogatiuis, & Cęli benignitate [c] admirabili fruatur, & proptereà cum ipſius Incolæ, Indigenæq; tum animo, tum intelligentia plurimum valeant propter temperamẽtum, iisq; longè ſint præſtantiores, qui in vtraſque tàm frigidas, quàm calidas Orbis terrarum partes valdè deflectentes, aut animo, aut intelligentia, teſte Ariſtotele [d] deficiunt, fit quidem, vt ipſi facillimè tueri libertatem ſuam,

&

y Hæc apprimè conueniũt ijs, quibus renunciare humanis, & ad diuina ſolum incũbere cõceſſum fuit, victuq. & veſtitu vti, & frui prouenienti ab operantiũ Ciuium in humanis virtute.

z Ornatę enĩ eloquentiæ tanta vis eſt, vt regna etiã transferre, valeat, & cõſtituere. Tacit.

a Et Deus nõ thure, nõ hoſtia, non pręcioſis muneribus, ſed morum emẽdatione placatur Lact. Fir. de Ira Dei. c. 21. in fin.

b Religioſa res adeò militia erat, vt non niſi Sacramẽto miles fieret Valturnus.

c Cuius gratia externarum gentium effrenati, immanesq mores leniũtur, & mira quadam ſuauitate decorantur, ſi eius incolæ fiant, vt referunt hiſtorici.

d Lib. 7. pol. c. 7.

& optima ratione Rempublicam, Regnumq; adminiſtrare, atq; illis à medio magis, minusuè declinantibus gentibus imperare valeant, quemadmodum M. Tullius etiam ſenſit Philipp. 10. circa finem, & lib. 1. de Orat. circa initium.

Serperet igitur in Vrbe ingens malum, idq; manaret in dies latius, ſi quiſquam ſibi, alijsq; perſuaderet, absq; huiuſmodi diſciplinis, & absq; Vrbana Congregatione; ſicut hactenus ſocietas hæc Ciuilis perſeuerauit, ità ſinè ijſdem quoque perſeuераturam; etenim quemadmodum Vir, cui peccantes humores quotidiè fiant copioſiores ob incontinẽtiam, & intemperantiam, frui tamen videtur corporis incolumitate, donec in ſummo plenitudinis aduentu appareat detrimentum, quòd latenter obrepſit, & non totum ſimul eſt contractum, ſimile quoddam euenire in Ciuitatibus, Rebus publicis, Regnisq; ab vberrimis monumentis vetuſtatis eſt exploratum, quæ etiamſi multos errores ferant, itaut non immutẽt faciem, neq; intereant, quando benè, ſeù non perperam ſunt ab initio conſtitutæ, attamen vbi horum errorum perſeuerantiam, etiamſi exigui videantur, negligunt Ciues, atq; extremam expectant neceſſitatem, nihil aliud quidem præſtolantur, quàm ſuæ Reipublicæ [c] ſubitò apparentem interitum; Nec exiguus error ibi verſatur, vbi erga Reipublicæ conſentaneam, ac neceſſariã eruditionem, quædam perpetuò inualeſcens negligentia obſcurare, atq; exoleſcere facit vtiliſſimarum diſciplinarum efficaciam, ac proinde ab earundem ſtudijs Iuniorum Ciuium animos, à quibus futura Reipublicæ conſeruatio dependet, in dies magis inconſideratè auertit [f], & quamuis nonnullarum Rerum publicarum, Regnorumq; potentia conſeruari videatur, etiamſi homines ſint ignari, atq; imprudentes, veluti dicebat Socrates [g] de Perſarum Imperio, quòd non à Virorum prudentia, ſed à reuerentia, qua maximè colebant Regiam dignitatem conſeruabatur, hoc potiſſimum eſt prudentie ipſorum, ſeù fortunatæ inſtitutionis beneficium [h], nec indè ſequitur humaniorum diſciplinarum notionem in quacunque Republica, Regnoq; non eſſe maximè neceſſariam, quia cum ignorantia ſit cauſa potiſſima, vt à primarijs Reipublicæ inſtitutionibus latenter recedant Ciues, vtq; in agibilibus præſertim grauioribus à rerum humanarum certa viciſſitudine proficiſcentibus ſint imprudentes, ea ſanè imperitia, niſi fortioribus virtutis humanæ conatibus à Ciuibus ſemper arceatur; illa imminere non eſt obſcurum, quæ Perſarum, aliorumq; Imperijs euenerunt; Quæ affirmauit quoq; idem Socrates ad Nicoclem de Regno, quando per Ciuiũ virtutem, ac beneuolentiam acquiri, & conſeruari Regna maximè poſſe pronunciauit.

Et illaudabile quidem eſt, vt in eadem Vrbe, & ſub eiuſdem Cęli benignitate, poſteaquam Imperio omnium gentium conſtituto diuturnitas pacis, otium confirmauit, ita diminuta ſit humaniorum diſciplinarum exercitatio, quarum gratia aut vera prudentia Ciuilis, aut Militaris perfectè adipiſcuntur, vt ipſę, earumq; robur, & excellentia vix à paucis cognoſcantur; Vtq; ob vtilitatem, quæ à practicis hauritur diſciplinis concitati homines, ad ea tantum incumbant negligentes ſpeculatiuas partes earum potiores, nimirum Theorias, a quibus illæ originem ſuam trahunt, & ſine quibus fieri minimè poteſt, vt in ijsdem practicis vnquam perficiantur, alieniq; ſint ab ambi-

c Scilicet poteſtatis temporalis.

f Magna morum, & legũ mutatio ferè inſenſibiliter auidit Ariſt. lib. 5. polit. c. 3.

g Nicocles, vel Auxiliaris.

h Homines enim facillimè ducuntur ab inſtituto, quòd naſcẽtes inuenerũt & in quo ſũt educati; & ab externis preterea cauſis Regna præcipuè, omniũ minimè delentur, vt ait Ariſt. lib. 5. pol. c. 10.

ambiguitate, rigore, & ruditate, quemadmodum in legibus i, abſque morralis Philoſophiæ perfecta notitia; In Canonibus, abſque Theologiæ plena eruditione; Itemq; in Mechanicis ab operum difficultate, ridicula deformitate, diſpendioſa reiteratione, & irremediabilibus iacturis, quemadmodum in Architectura, Militari, Nauigatoria, & Medicina, abſque Arithmeticæ, Geometriæ, Coſmographiæ, & naturalis Philoſophiæ pleniſſima notione.

i Ius Ciuile à morali Philoſophia ducit originē, velut Canones à Theologia, l. 1. ff. de Iuſt. & Iur.

Turpe verò propemodum dici poteſt, vt in eadem Vrbe, Ciuium præſtanti multitudine referta exoleuerit ſapientia, & prudentia k Romanorum, vbi peculiari prouidentia Diuina ob rerum diuinarum ſummam pertractationem iam diù firmata eſt Hierarchia, itemq; ob humanarum rerum prudentiſſimum Regimen Monarchia, vtraque cęteris profectò præteritis, incomparabilis, & vbi virtus rerum omnium maximè eſt in pretio, & in qua (ad inſtar rectiſſimæ Reipublicæ, quæ ſit omnibus formis temperata, probèq; inclinet ad duo illa potiſſima genera, nempè Democratiam, atq; Ariſtocratiam l, ciuibusq; conſtet in externis bonis mediocribus m) multi probi, pauci meliores, & vnus optimus, ac perfectiſſimus Reipublicæ Regimen ſuſcipit ad communem multitudinis vniuerſæ vtilitatem, & tranquillitatem.

k In humanis ſcilicet agibilibus.

l Ariſt. lib. 4. pol. c. 9.

m Ariſt. l. 4. pol. c. 11.

Ego verò minimè dubito; quin ab Vrbanis Gymnaſijs Diuina prouidentia conſtituendis, Aula Romana perſeuerante, deficiant vnquam Auditores, Studenteſq; & quin progreſſus in ijs a perſpicacioribus Ciuibus fiant ſingulares, poſteaquam deſcriptarum diſciplinarum exercitium in illis eminenti more, ſummaq; humanitate gerendum, & Concionum, atq; Academiarum frequentia celebre, per vniuerſam Rempublicam erit promulgatum; Et quando etiam publica diſtribuentur pręmia honorificentiſſima n ijs, qui propter diuerſas verè eruditas Conciones, & diſquiſitiones ſuas, illa mereri manifeſtum fuerit: Pręmia enim iuniorum potiſſimum animos, qui cupidi ſunt magis gloriæ, quam vtilitatis o, vehementer excitare ad virtutem, eiusq; præſtantiam ſatis exploratum habemus per ea, quæ Athenis fieri conſuetum erat, quemadmodum legitur apud Lucianum, & M. Tullium p, longèq; profectò maiores fructus, ac beneficia ab his pręmijs conſequi ſcimus Rempublicam, quam ab illis, quæ publicè percurrentibus, atq; etiam perluctantibus largiri ſolent.

n Quibus inſignia Doctoratus in morali Philoſophia ſuſcipere ſummum decus eſſe habeatur.

o Ariſt lib. 2. Rhetor. de moribus ætatū.

p Lib. 1. de Orat. circa initium, maxima inquit propoſita erāt pręmia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem.

Verùm quia hæc ſtudia humaniora non omnem ætatem, ſed ingenio florentiorem proculdubio requirunt, idcircò quemadmodum Pythagoras illos tantummodo ad huiuſmodi ſtudia, tanquam operam proficuè daturos ſolitus erat admittere, qui alijs priùs artibus, & diſciplinis imbuti fuerant; Eadem quoque conſuetudo ſeruabitur in Vrbanis Gymnaſijs, propterea deficient ab eis penitus pueri, etiamſi habilitate quadam præditi viderentur, non ſolum quia Ariſt. lib. 1. ethic. c. 3. negat ipſos eſſe idoneos moralis Philoſophiæ Auditores, cum ſint vitæ actionum imperiti, & ſenſitiuam animæ partem ſequantur, verum etiam, quia quamplures Philoſophorum, non priùs ingenium herile fieri, & virtutum, gloriæ, atq; honeſti ſtatus cupiditatem aduenire teſtantur, quam poſt 21. annum ætatis q, cuius ſanè temporis plenitudine adueniente, ſi Ciues harum humaniorum diſciplinarum ſtudia aggrederentur, manifeſtū eſt in ijs profecturos fore magis, quam

q . . . .

in

in alijs fecerint ſub totius vitæ ſuæ præteritis ſpatijs; Inter omnes verò illi optimè vniuerſam Philoſophiam moralem, vel aliquam ipſius partem ſunt apprehenſuri, in eaq. maximè proficient, qui, vt aiebat Xenocrates, ſortiti fuerint animam ſtudioſam, & perſpicacem [r].

Ex hactenus igitur allatis in medium, patet quam iuſtum ſit, & quam neceſſarium, vt locupletes, & ij potiſſimum, qui à Reipublicæ beneficentia ditantur, Vrbanæ Congregationis amplificationi opitulari non deſinant, & præſertim in ijs, quæ ad ſuperius deſcriptæ eruditionis publicę executionem expediunt, præclara gentilium geſta hac ratione ſaltèm adæquantes: Et verò cum omnes homines corpore, & animo ſint præditi, anima autem ſit corpore incomparabiliter nobilior, certè, ſi inuigilandum eſt, vt humano corpori neceſſaria non deſint alimenta, per ea, quæ in prima parte ſatis innuimus, multò magis inuigilandum erit, vt animæ congruentia alimenta non deficiant, quorum gratia homines ingenioſi, & maximè pauperes perſpicaciores, quiq; vt ait Salomon c. 8. Sap. ſortiti ſunt animam bonam, prudentes, & ſapientes fiant, & humanam hanc ratione felicitatem in præſenti vita, prout fieri poteſt, attingere valeant, & in futura æternam faciliùs conſequantur.

[r] Anima enī ad cognitionē apta veri plus aſſequitur, quam qui ſupra modum in ſcientia ſe exercuit.



PARS TERTIA.

De excellentia Vrbanæ Congregationis, eiuſq; probabiliſsimis progreſsibus, & ingenti Gloria Amplificatoris.

VRBANÆ Congregationis præſtantiam ampliſſimè declarat Aulicorum præclarum in Regnis, & Imperijs genus; Siquidem Aulici, vt refert Ariſt. lib. x. de Repub & lib. 3. polit. c. 12. Regum oculi, aureſq; iam inde à vetuſta Perſarum gente, iure optimo nũcupabantur, & hactenus etiam vocari ſolent manus, pedes, ſpirituſq; vitales Principatus; Aula enim Regni totius propemodum baſis, & fundamentum, atq; ſummum ciuilitatis, quia maieſtatem, & exercitium in ſe continet Principatus, ab Aulicis originem procul dubio trahit; Ipſius verò Principatus maieſtas tanquam venerationis, & obſeruantiæ partus ab ijſdem pariter Aulicis potiſſimum ingeneratur, atq; conſeruatur, quòd præſertim perſpicuum eſt in hac Monarchia, vbi [a] Aulici non modo maieſtatis, & ſplendoris Principatus ſunt ſeruatores, ac Principis, & Procerum cuſtodes intimi, atq; proximiores, & vniuerſæ Oeconomiæ Præfecti, ac publici Regiminis participes, ſed quod maximum eſt ſupra ciuile faſtigium plerumq; euecti Reipublicæ Principes fiunt, & ſupremi rerum Moderatores; Singulariter verò Aulicorum excellentiam, & honorabilem conditionem, ac ordinem dilucidè indicat numeroſa Sanctorum Aulicorũ Series, veluti in Martyrologio Romano videre eſt; Itemq; Sapientiſſimorum Aulicorum caterua, inter quos, & Ariſtoteles, & Plato fuere [b] Prætereà Ciuilitas ipſorum ſingularis fit notior ex eo, quia ſi ſoli Ciues ſunt, qui conſtituunt Ciuilem ſocietatem, quoniam Ciuitas, teſte Ariſt. lib. 3. pol. c. 1. eſt Ciuium multitudo quædam; Aulici profectò ſunt propriè, atq; ex potiori genere Ciues; Apprimè nanque congruit eis præcipuà Ciuis definitio ab ipſo Ariſtotele tradita lib. 3. polit. c. 1. pariterq; ijſdem optimè conueniunt Ciuium virtutes, etenim ſtatuit ibidem Ariſtoteles illum potiſſimum eſſe Ciuem, qui honorum, ac Magiſtratuum eſt particeps in Ciuitate; Virtutem verò probi Ciuis eſſe ait, ſcire, ac poſſe, tum imperata facere, tum etiam imperare, cum rectè parendo Ciues diſcant rectè imperare, nec fieri poſſit, vt benè quis imperet, qui non fuerit imperio ſubiectus, vt ait lib. 3. polit. c. 3.

[a] In humanis

[b] Et Diuus Hieronymus Doctor Eccleſiæ, qui fuit ab Epiſtolis Damaſi Pontificis.

Ex his igitur cum Vrbaniores, vt vidimus, honorabilioreſq; in Regnis, Imperijſq; verſantes viri ſint Aulici, ipſoſq; omnes hæc Congregatio amplectatur, ijſdemq; tanquam filijs ſuis glorietur, & iure optimo præſeferat,

veluti ſimulacrum ſui Vrbanitatem , quam in Vrbe aliarum præcipuè Regina perpetuò florere, decet; ſi Ciuitas, quamquam vnumquodque hominum genus recipiat, Societas nobilis,&glorioſa nuncupatur; quanto nobilior futura eſt, & glorioſior in Vrbe Congregatio, quæ ſit ex Ciuilioribus , Vrbanioribusq; viris,& præceteris profitétibus diſciplinas Aulæ, ac proindè Reipublicæ neceſſarias , atq; humaniores ? & profectò à Viris Ciuilis ordinis , & in conſpicuo gradu conſtitutis , opera minimè communia, immò perfectiora omnia, atq,excellentiora proficiſci debere non eſt obſcurū. & cum ſint tanquam lumina fulgentia ex alto, progreſſus eorum in actibus humanitatis , & charitatis vniuerſam Rempublicam , exteraosq; etiam viros in admirationem trahere poterunt, atq; in imitationem.

Neq; Vrbanæ Congregationis tenue exordium in animis prudentum hominum valet inducere contemptum , quoniam nihil eodem tempore , & abſolutum ſimul eſſe , & inuentum poteſt , omnia enim humili, exiliq; ab exordio profecta, & paulatim quaſi per gradus aſcendétia,ad id,quòd sū nū videtur eſſe , peruenerunt, quemadmodum Vrbes quoq; quæ ex infimo naſcuntur, easq; vt ſcribit Liuius lib. 1. ſi ſua virtus,& Dij iuuant magnam potentiam, magnumq; nomen ſibi faciunt ; præpoſuit namq; natura cuiq; operi pulcherrimo difficultatem [c] , dum neq; ſenſibilia , neq; vegetabilia, ſuam magnitudinem confeſtim attingere poſſe decreuit , ſed priùs radices expandere, deindè, varijs ſubiecta diſcriminibus , paulatim à terra eleuari, & conſurgere, flores , frondesq; emittere , & demùm fructuum ſuorum exoptatam largiri copiam , atq; oblectamentum .

Neq; futuri huius Congregationis progreſſus ſingulares apud incurioſos viros indigēt abſtruſarum diſciplinarum fallacibus coniecturis, licèt earundem non deficeret copia ; ſiquidem quin lo recenſendum quicquam foret, aliundè potiùs haberetur certum fermè prænuncium progreſſuum Vrbanæ Congregationis, cui neq;etiam turbulentæ tempeſtates,& fluctus,qui circa initia rerum eſſe ſolent obſiſtere poſſunt,quoniam cum primores viri huic Congregationi aſcripti,inter ſe priuatè , & nullius ductu à numeroſa Sanctorum Aulicorum ſerie,elegiſſent in Patronos Sanctos Ioannem, & Paulū Glorioſiſſimos [d], ſignum præfinitæ cęlitus protectionis, atq; ſuſceptæ tutelæ in eo primum apparuit, quando Sanctiſſimus Dñs Noſter VRBANVS multo antea pro huius Congregationis approbatione rogatus ab Illuſtriſs. Card. Franciſco Sfortia , poſt longa omnium ſilentia, tandem ipſo die ſolennitatis eorundem Sanctorum , Diuino vt credimus conſilio , recordatus eſt huius Congregationis , eamq: approbare decreuit, & denunciare fecit ijs , qui huic negotio deputati , addictiq. iam fuerant , vt ad ſuam congrederentur auditionem , idq. etiam eodem die , Diuino adiuuante numine , fuit pleniſſimè geſtum . Ad hæc ſimili quadam ratione cenſeri poſſet Vrbanam Congregationem in Infantia ſua,non ſine alicuius Myſterij fulgore ſortitam eſſe locum in Suburrana Regione,quæ velut Feſtus affirmat, Succurrana Tribus ſcribebatur, & à ſuccurrendo appellata fuit antiquitus [e] ; ibidemq. pariter Templum Diui Laurentij non eſſet fortuito , vel caſu conſequutam,cum Sāctus Laurentius ſit Vrbis Patronus Singularis [f], ipſaq. Roma , vt Petrus Damianus ait, glorietur patrocinio ſuo , & Templorum in illius honorem copia,ac varietate fruatur.

c Quintil. lib 10. ſuar. Inſtit.

d Romanos Ciues. & Aulicos Cōſtantiæ Magni Conſtantini filiæ , qui cū opes à Cōſtāt. ſibi relictas Chriſti pauperibus erogarent, Iuliani Apoſtatæ iuſſu , cuius recuſarunt , eſſe Familiares, Martyriū ſuſceperunt . Martyrolog.

e Quia ibi conſtitutum erat præſidiū ſtatiuum , vt Feſtus, Verriū ſecutus, aſſerit

f Prætermiſſo quod eius nomen à Lauro duxerit originem . ſub quo illum reperit infantē in ſylua Beat. Sixtus II. & quod Laurus ſit huius Vrbis ſymbolū, vt hiſtorici teſtantur .

Cum itaq; ex hactenus enucleatis probi viri, & prudentes Vrbanæ Congregationis conditionem optimè nouerint, non eſt dubitandum, quin illius amplificationem deſiderent, eiq; quam maximè poterunt opitulentur, & potiſſimum illi, qui huius Aulæ liberaliſſima beneficent a locupletati ſunt; enim verò qui contrarium excogitarent, eamq; negligerent, vel publicæ tranquillitatis, & proſperitatis eſſent contemptores, vel confuſa rerum notitia præditi, ſapientiam ſibi temerè arrogantes, vel non ingenui Reipublicæ amatores; quæ certè à merito nomine probi Ciuis, probiq; viri adeò eſſent aliena, vt huiuſmodi homines, ſi qui forent, commoda, & honores, quos ſuſcipiunt à Ciuili ſocietate, nempè à Ciuitatibus, vbi degunt vitam, nullo modo mererētur: Probi g nanque Ciues, & ſapientes, quorum purus, & ingenuus animus erga Reipublicæ tranquillitatem, & felicitatem exardeſcens, & ab affectibus non occupatus, à longè conſpicit lumen veritatis, nec minimum quidquam obijcient huic Congregationi, immò efficaciori virtutis ſuæ conatu eidem auxiliari quam maximè curabunt; Neq; contrarium excogitaturi vnquam ſunt iuſti, prouidiq; Reipublicæ Moderatores, qui vniuerſum Populum, veluti gregem ſibi commiſſum, ritè, & rectè paſcere, atq; cuſtodire deſiderant, & tenentur; Item neq; illam negligent vnquam Patres familias, qui vtiliſſimas diſciplinas, quaſi prorſus antiquatas cognoſcere, in eisq; filios ſuos tum ad priuatam eorum, tum ad publicā vtilitatem diſertè erudiri poſſe ſummoperè cupiunt; Nec quidem pauperes contra eam colloquentur, quorum numeroſæ multitudini expedit, vt à diuitibus multifariam feratur auxilium, neq; demum ipſam proculdubio parui facient Aulici, & illi præſertim, qui longa ſeruitute, & fortunarum diſpendijs ſunt defatigati.

g Conſentiũt probi, & ſapientes, vt Procl. ait in Alcibiad.

At ſi quibuſdam huius Congregationis inſtituta, eiq; propoſiti fines viderentur aliquas Reipublicæ Platonis, vel Euthopiæ ideas, & exemplaria præſeferre nunquā habitura complementum, id ſanè inconſulto arbitrarentur, & prædicarent; Nam ſi eiuſmodi actiones à ſolo humanitatis inſtinctu proficiſcentes celeberrimæ Gentilium nationes plures [h], inter quas præcipuè Athenienſes, & Romani extiterunt [i], feliciter amplexæ ſunt, quia illas immane, ac fœdum auaritiæ, & intemperantiæ vitium non ſuperauit; Deteſtabile quidem foret, & abſurdum, ſi modo crederetur, eaſdem actiones in eadem Vrbe nunc Chriſtianiſſima, quæ humaniores virtutes eminenter tueri profitetur, complementum, firmamentumq; ſuum minimè aſſecuturas, id præſertim Vrbanæ Congregationis mirifica oportunitate ſuadente. Quòd verò non ſit dubitandum, quin ampliſſimum ſui incrementum Vrbana Congregatio ſit conſecutura, fieri poteſt notius; nam extinctis, & in puluerem redactis diuitibus illis, qui ab innatæ auaritiæ liuore, & ingrati animi vitio agitati, elapſum viuendi morem auariſſimum, ac odioſiſſimum pertinaciter ſequentes, hanc Congregationem negligunt, atq; interea ipſa Congregatione apud poſteritatem effecta venerabili ob aliquam ſui vetuſtatem, & virtutum ſuarum, prout fieri poterit, exercitium, ac publicæ vtilitatis ab ipſa profluentis euidentiam; Proculdubio ab aliquibus inter naſcituros in dies viros liberalitate, & magnanimitate, ob certiſſimam naturæ prouidentiam, decoratos, exoptatam quamcunque ſui amplificationem vberrimè conſequetur;

h Veluti ſub Primæ partis Initio ſatis innuimus.

i Vt diffusè Marc. Tull. refert lib. 1. de Orat. Itē Lacędemorij, & Creſenſes.

tur;

tur; Veruntamen Proceres, & Aulici horum temporum, cęteriq; huius Vrbis amatores Ciues, Vrbanæ Congregationi hoc interim ſpatio opitulari non deſinant, ſiquidem, & ſibi, & filijs ſuis, & poſteritati vniuerſæ conferent commodum, atq. auxilium; & ſingillatim Aulici Congregationis ſuæ immunitatem, nobilitatem, & virtutem diligenter tueri; ſemperq; conſeruare curent propter multiplex beneficium, quod ab hac Congregatione prouenit ipſius præſertim exoptabiliſſimum, quoniam vnum beneficij genus illud erit, quòd verſaturum eſt in ſibi inuicem præſtandis ſpiritualibus, corporalibusq; ſubſidijs[k], quando ijs, vel propter infirmitatem, vel propter mortem ſuam, aut Procerum ſuorum, vel per quodcunque aliud miſeratione dignum accidens indiguerint; Alterum beneficij genus, cui pręcipuè intendit Congregatio, verſabitur erga conſeruationem honorificam ſeniorum Aulicorum, qui Aulæ poſt longa officia ſua renunciauerint; Idq; in loco à ſupremo rerum Principe Deo, à quo bona cuncta procedunt, atq; à probis viris præfiniendo. Aliud verò genus beneficij, quòd ad vniuerſam quoque Rempublicam vtiliſſimè extenditur, futurum eſt erga publicam eruditionem in ijs ſuperiùs deſcriptis humanioribus diſciplinis, quæ Aulicis, cęteriſq; pariter Ciuibus ſunt neceſſariæ: Et hæc ſanè tria beneficiorum genera magnopere probaturi ſunt probi viri, nam minimè ignorant naturam humanam propter innatam infirmitatem, imbecillitatem, & ignauiam ſuam corporis, animæq. ſuffragijs fermè ſemper indigere; Speciatim verò locum ſenioribus Aulicis præfiniendum, non tanquam vile quiddam, deſpicabilem eſſe ſentient, ſed tanquam opus maximè honorificum, & iuſtum, ſummopere laudabilem eſſe, ſunt pręedicaturi, nam ſi deſpicabilia non cenſentur, ſed maximam laudem digna Collegia, Conuentus, & Cęnobia pro alijs generibus hominum ſeruientium Deo; Idem quoque de Vrbanæ Congregationis Conuentu dicendum eſſe perſpicuum eſt, cuius viri pariter Deo ſeruient, & hominum tum animi, tum corporis neceſſitatibus ſunt eminenter auxiliaturi[l], veluti in ſumma conſtitutionum Congregationis videre licèt: Immò huiuſmodi Aulicis, tanquam viris ob diuturna officia ſua de Aula, ac proindè de Republica benemeritis, hunc Conuentum velut nouum Prytaneum[m] ſingulariter honorificum fore exploratiſſimum eſt, vt ab Ariſtotele etiam hauritur lib. 1. Rhetor. qui inter res honorificas victum publicum ſtatuit.

Et quamuis inter Aulicos aliqua verſari videatur varietas, & diſſimilitudo, itaut nec eos ſolum Aulicos eſſe quiſpiam exiſtimare rectè poſſit, qui Principis perſonæ inſeruiunt in Oeconomicis officijs, aut Oeconomiæ ſubordinatis, nulla propemodum habita ratione Magiſtratus, ac dignitatis ipſius; nec illos tantum, qui, & principis perſonæ, & dignitati exhibent ſui vſum, videlicet tum in aliquibus Oeconomicis, tum in Ciuilibus, & ad publicum regimen ſpectantibus officijs, nec demùm eos ſolum, qui principatui potiſſimum præſtant obſequium, nimirum ciuiliſſimis, nobiliſſimiſq. muneribus ad publicam rerum coadminiſtrationem pertinentibus; Attamen Vrbana Congregatio hos omnes iuxta Conſtitutiones ſuas amplectetur; neminiq. abſonum hoc videri profectò poteſt, quoniam ſi Ciuitates fieri nobiles, celebreſq. non deſinunt, etiamſi omnia hominum

genera

k Nam ſummum Ciuitatibus bonum in amicitia ponendũ eſſe cenſet Ariſt. lib. 2. pol. c. 2 quæ nihil eſt aliud niſi omnium diuinarum, humanarumq; rerum cum beneuolentia & charitate ſumma conſenſio, vt M. Tull. in Lęl.

l Hac ratione beneficia perpetuo retribuẽdo benefaciẽtibus, vt Ariſt. l. 5. ethic c. 5.

m Quòd erat locus Athenis admodũ celebris, vt in prima parte dictum eſt.

genera amplectantur, immò ab illis tanquam neceſſarijs inſtrumentis ad opes, & potentiam conquirendam adiuuantur; Itemq; ſi Aula nobiliſſima eſt Aulicorum varietate non obſtante, pari ratione Vrbana Congregatio in dies fieri non deſinet nobilior, quamuis omne genus Aulicorum ſit humaniſſimè amplexura, nam ſicuti in recta Ciuitate imbecilliores animo, minùsq; docti viri rebus ſibi congruentibus iure optimo addicuntur, præſtantiores verò virtute, ac prudentia Regimini præſunt, atq; vniuerſæ administrationi, ſimilis in Vrbana Congregatione ſeruabitur ordo, quemadmodum à Conſtitutionum ſuarum Compendio dilucidè poteſt hauriri. Nullus itaq; inter Aulicos prudentiores ſit, qui in his potiſſimum Congregationis Vrbanæ primordijs ob inanem aliquam, & ambitioſam curam aſcribi negligat Congregationi, vt fieri valeat idoneus ad illorum beneficiorum commodiſſimam conſecutionem, quæ pro corporis, animiq; ſui indemnitate ſunt incomparabilia, itemq; vt iuſtiſſimam illam gloriam valeat comparare, quæ merces virtutis eſt, & egregiorum operum, vt ait Ariſt.lib.4.ethic.c.3.

Nullus ſit denium inter locupletiores Ciues, qui per viribus ſuis ſuffragia non ferat Vrbanæ Congregationi, nam quemadmodum Vrbium, Rerumq; publicarum Conditores, Auctoresq. magnificentiſſimi æternam ſui nominis, ac virtutum claritatem, & gloriam ſimul ſtruunt, & conſequuntur apud homines, itemq; ſi honorantur maximè, atq; merito, qui beneficia contulerunt [n], maximèq; diliguntur, qui fama, & laude valent liberalitatis [o], Parem propemodum claritatem, & gloriam, & quod multo expetibiliùs eſt, ſingularem penes Deum dilectionem conſecuturos exiſtimandum eſt illos, qui Vrbanæ Congregationis extiterint Amplificatores; etenim beneficentia erga præclare meritos, ciuilioresq; viros, nè ad inopiam redigantur, erga Rempublicam ipſam eſſe dicendum eſt, vel ſaltèm erga potiſſimam ipſius partem, & propterea maximè laudabilis, ac glorioſa dicitur, immò Deo gratior eſt, quàm ea, quæ erga vnumquodq; genus hominum ignauiſſimum, ac inutiliſſimum exercetur, quemadmodum in primæ partis fine ſatis innuimus. Quæ notiora fiunt etiam, quia cum hæc Congregatio, vt demonſtrauimus, Ciuiliores in Vrbe, virtuteq; Reipublicæ conſentanea, & neceſſaria generatim præſtantiores amplexura ſit, à quibus profecto totius Ciuitatis, & etiam Reipublicæ ſplendor, ac felicitas ſingulari ratione conſeruatur [p]; Totam fermè Ciuitatem Vrbanæ Congregationis Amplificatores aucturos fore dicendum eſt beneficentia ſua, nam cum ſoli Ciues ſint, qui conſtituunt Ciuilem Societatem, nempè Ciuitatem [q] Aulici proculdubio, vt vidimus ſunt maximè, & propriè Ciues. Et verò honorari ob beneficentiam glorioſiſſimum habetur, quoniam virtutis pręmium eſt gloria [r], quæ bonis viris debetur, ipſamq; non modo alijs tribuere, verùm etiam magnificè expetere honeſtum eſt [ſ]; Immò cum genus humanum à ſummo rerum Conditore Deo creatum ſit, vt altiſſima conſequatur, nempè æternam gloriam, iure optimo ſublimia cupere debet, & magnifica, ad eaq; prout valet, peragenda tenetur; Neq; idcirco magnanimitas repugnat ab humilitate, vt probat S. Th. 2.2.q.129.art.3.ad 4.

Singulariter autem Vrbanæ Congreg. Amplificatores, eorũ omniũ ſunt

[n] Ariſt.lib.1 Rhetor ad Theod c 5.

[o] Ariſt. lib.4 ethic.c.1.& 3.

[p] Aulæ mores diffundũtur, veluti fulgor ſolis per vniuerſam multitudinem, quæ tanquã Grex ducitur exẽplo.

[q] Vt Ariſtot. l. 1. pol.c.1.

[r] Ariſt lib 4. ethic c.3.

[ſ] Ariſt.lib.2. ethic.c.7.

ſuperaturi celebritatem, qui in æneis, marmoreisq; imaginibus, ac ſcripturis, & ſepulcrorum maieſtate, aut Pyramidum erectione, inſigniumq; ædificiorum, ac templorum conſtructione[f] illam poſteritati reliquerunt; exuperatio autem tanta futura eſt, quanta extat inter homines, atq; res inanimatas differentia virtutis; Hominum nanq; eſt proprium copioſæ eloquentiæ ſuæ laude, Heroum egregias virtutes apud omnes gentes, exterasq; ſpeciatim nationes celebrare, ac proinde ſupremæ rerum omnium origini Deo gloriam eminenter referre, lapides autem, & parietes, hæc non niſi infeliciſſimè poſſunt efficere: Præterea huius Congregationis Amplificatores exuperaturi ſunt beneficentiam illorum, qui alia quæcunque hominum genera adiuuarunt; exuperantia autem ea erit, quæ inter alia fluxa, ac fragilia hominum genera extat, atq; inter hoc hominum Vrbanæ Congregationis ciuiliſſimum genus, quòd donec Aula permanſerit, & Principatus eſt neceſſario perſeueraturum, easq. virtutes, velut conditioni ſuæ proprias profeſſurum eſt, & diſciplinas, quæ vnicuiq. verò Ciui maximè conueniunt, Reiq; publicæ apprimè expediunt, ac ſunt ſalutares.

[f] Ad hæc S. Ambroſ. & S. Hieronym. vt habetur in c. aurum, & c. gloria 12. q. 2. non auro, & argento parietes templorum, atq. altaria exornare, ſed hominũ neceſſitatibus prouidere, gloriam eſſe affirmant.

Ergo quemadmodum nomen ſuũ Poſteritati venerabile relicturi ſunt Viri, ſeù potiùs Heroes illi, qui glorioſæ magnificentiæ ſuæ documentis, ſuffragia Vrbanæ Congregationi conferent exuperantia, vt ita dicam, officium humanitatis ſuę, ita è conuerſo inglorium, atq. iniucundum erit nomen illorum, qui publicum paruifacientes bonum, benemeritis huiuſmodi viris à ſe debita ſubſidia præſtare potuerunt, & neglexerunt.

Hæc habui de Vrbana Congregatione, quæ dicerem; dixiſſe vero optantis eſt opus, vt autem eueniant, Diuinæ prouidentiæ beneficium.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Indice dei Santi Martiri etc.

1= Teodolo S. e M. = — — — pag. 4 =
2= Pietro S. e M. = — — — pag. 7 =
3= Castulo S. e M. = — — — pag. 11 =
4= Massimo S. e M. = — — — pag. 15 =
5: Evellio S. e M. = — — — pag. 19
6= Nereo ed Achilleo SS. e MM. = — pag. 23 =
7= Torpete S. e M. = — — — pag. 27 =
8= Calocero e Partenio SS. e MM. = pag. 31 =
9= Santio S. e M. = — — — pag. 35 =
10= Gio. e Paolo SS. e Mm = — pag. 38 =
11= Giacintho S. e M. = — pag. 43 =
12= Romolo S. e M. = — pag. 47 =
13= Gorgonio e Doroteo SS. e Mm = pag. 50 =
14= Proto e Giacinto SS. e Mm = pag. 54 =
15= Leopardo S. e M. = — pag. 57 =